BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 H
4 M

1.22.28.
K.4.

DE PRUDENTIA VETERIS ECCLESIÆ LIBRI TRES.

Ex antiquitate Eccleſiaſtica ſecundum Scripturas ſacras.

Auctore

NICOLAO VEDELIO S.S. THEOL. *Doctore & Profeſſore apud Daventrienſes.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



AMSTELODAMI,
Apud IOANNEM IANSSONIUM.
cIↃ IↃC XXXIII.

9

MAGNIFICIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, Conſultiſſimis, Prudentiſſimis Viris D. D. Inclytorum & Potentium Ordinum Tranſiſulaniæ Deputatis.

Dño. VVOLFGANGO BENTINCK, *Præfecto Iſſelmuydæ, Deputato ex Ordine Equeſtri Zallandiæ.*
Dño. ROBERTO *ab* ITTERSSVM *in Nyenhuis, Præfecto Tubantiæ, & Deputato ex Ordine Equeſtri illius diſtrictus.*
Dño. BALDVVINO SLOETH, *Quæſtori Vollenhoviano & Deput. ex Ordine Equeſtri illius diſtrictus.*
Dño. ÆGIDIO NIELANDT, I. V. D. *Conſuli & Deput. Reip. Daventrienſis.*
Dño. IOANNI LOUVVISSIO *Conſuli & Deput. Reip. Campenſis.*
Dño. RVTGERIO *ab* HAERSOLTE *Commiſſario, Conſuli & Deput. Reip. Zvvollenſis.*

Nec non

Ampliſſimo & Spectatiſſimo Viro Dño. HERMANNO ROELINCK *Graphéo Provinciæ Tranſiſulanæ,*

Gratiam & proſperitatem à Chriſto Ieſu.

M*Agnifici, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, atq; Ampliſſimi Viri.* Semper omnibus ſapientibus placuit judicium laborque eorum, qui in *Antiquitate Eccle-*

ſiaſtica ingentem latere theſaurum credidêre, atque in eo eruendo ſeſe qua par eſt dexteritate & fide occupavêre. Et profectò reperitur in ea duplex theſaurus, quorum prior *Veritatis*, alter *Prudentiæ* eſt. Continet enim teſtimonia illuſtria veritatis divinæ; ac ſimul oſtendit, qua prudentia ac ratione Religio conſervata, per totum orbem terrarum diffuſa, in hæc uſque tempora adeoque per tot ſeculorum gyros, per tot vices, per tot adverſa propagata fuerit, quâ denique prudentia à nobis ad poſteritatem in ſalutem illius, bonum Reipublicæ, pacem Eccleſiæ, gloriamque Dei derivari poſſit.

Atque in priore quidem theſauro eruendo non pauci hactenus laborarunt, ſed diverſis animis. Alii enim fideliter & candidè in eo verſati ſunt, ac id egerunt ut Veritatem ipſam in lucem proferrent repurgatam à ſcoriis inventionum & errorum humanorum. Alii autem ſpeciem quidem oſtenderunt veritatis, ſed illius loco fæces mendaciorum, ſuperſtitionum, idolo-

latriæ

latriæ aliorumque errorum coram Orbis oculis expoſuerunt; quo nutanti ac laboranti cauſæ ſuæ ceruſſa & fuco veritatis ac ψευδωνύμου γνώσεως *falſo ſic dictæ ſcientiæ* ſuccurrerent. Horum fraudibus oppoſuerunt ſe hactenus Viri aliquot inſignes, eoque nomine de Eccleſia ac veritate divina egregiè meriti. Et ſpero fore ut tandem cordatus aliquis & ſolide peritus antiquitatis Eccleſiaſticæ vir exſurgat, qui nobis eam ab operoſiſſimis nugis & lenociniis *Cæſariis Baronii* vel ſolus vel ſocius penitùs liberet.

Circa poſterius autem reconditarum illarum divitiarum genus nemo, quod ſciam, hactenus ex profeſſo laboravit. Cujus rei cauſam hanc fortè principem eſſe puto, quod hactenus & illis & his omne ſtudium in priore genere ſeu verè ſeu in ſpeciem eruendo neceſſariò ponendum fuerit. Nam illis quidem poſt tam ſpiſſas ac plus quam Cimmerias tenebras errorum & ignorantiæ laborandum fuit in reperienda veritate, & ubi eam reperiiſſent

 atque

atque hinc inde per orbem propalaſſent, neceſſum fuit ut repertam vindicarent & conſervarent adverſum ſtrophas illorum qui dolebant reſtitutam poſt tenebras lucem, cujus radios ferre nequaquam poterant. Hi autem toti in eo erant ut per cuniculos ſubruerent atque everterent pretioſum opus, & labores rectè ſentientiũ in nihilum redigerent. Et quia fruſtranea videbant eſſe iſta molimina ſua, operam ſimul perpetuò dederũt ut huic generi certaminis aliud adderent, quo per vim, cędes, ſupplicia, ignes, undas, laqueos, opprimerent eos, quorum cauſam rationibus debellare non poterant. Vnde factum, ut illi penes quos cauſa divina ſtabat, perpetuo in teſtimonio reddendo veritati ſeu docendo, ſeu patiendo occupati fuerint.

Hinc integer fere nobis in abdito relictus fuit theſaurus *prudentiæ antiquitatis priſcæ*. Etſi enim Deus inter tot errores imprudentiſſimos filiorum lucis ſubinde etiam *prudentiæ Eccleſiaſticæ* actionibus præclaris iiſque

quę non paucis per ſervos ſuos, qui ei tam in Eccleſia quam in Republica & Oeconomia famulantur, defunctus fuerit: reliquum tamen eſt, ut ex profeſſo incumbatur in alteras illas divitias eruendas, quæ quantæ & quam inſignes ſint fando exprimi non poteſt. Reperire enim ibi eſt omnia ea quæ ad conſervationem ac propagationem veræ Religionis, ad pacem Eccleſiæ, ad concordiam membrorum inter ſe, ad tranquillitatem Reip. faciunt. Reperire ibi licet modos idoneos quibus obviam eundũ eſt hoſtibus Eccleſiæ externis & internis, qui omnes abſq; prudentia ſingulari cõpeſci nequaquã poſſunt. Atque omnia iſthęc ibi videre eſt non in nuda ſpeculatione poſita, ſed ipſa praxi atq; experientia confirmata. Vt adeo nullam actionẽ in rebus Eccleſiæ curandis & negocio Religionis tractãdo ſuſcipere quiſquã poſſit; quin ſtãtim experiẽtia Eccleſiæ vet. prævidere poſſit, quis evẽtus, lætuſne an ſiniſter Eccleſiæ & privatim ipſi inde exſpectãdus ſit. Vnde profectò non poteſt non

(*) 4 ingens

ingens bonum ad veram Religionem, ad Eccleſiam, ad Rempublicam, ad unumquemque privatim redire. Quemadmodum contra ex imprudentia in tam arduo negocio gerundo non poteſt non infinita malorum ſeges in peſtem Reip., Eccleſiæ, ac ipſum eum qui imprudenter agit, enaſci. Sed de his ſub initium libri primi amplior nobis dabitur dicendi locus.

Hæc cum ego pro mea tenuitate animo meo reputarem ac ſimul expenderem ſufficientiſſimè decertatum ac laboratum eſſe Eccleſiæ horum temporum, etiam ad ſanguinem uſque, undarum in modum, proh dolor, effuſum; nec quicquam reſtare ad perfectiſſimam veritatis victoriam, niſi quod Antitrinitariorum apertorum & occultorum ſeu ſimulatorum fallaciis quibuſdam, (quibus hi præſertim totam Religionem Chriſtianam evertere laborant, ſola ſpecie externa & inani nomine relicto,) obviam eundum eſt: exiſtimavi me rem non ingratam bonis omnibus facturum, ſi manum operi admove-

moverem, & ligonem immitterem in theſaurum illum *prudentiæ antiquitatis priſcæ* pro virili eruendum. Fateor ac doleo infirmitatem meam, nec inficias eo arduum illud opus eſſe, ac non unam ob cauſam difficilimum. Eſt enim labor iſte ejus generis, ut verum proferendo non minus amicos quam hoſtes offendere poſſis: contra quàm in priore genere contingit, ubi verum dicendo hoſtes tantum offendere poſſis non tua culpa ſed ipſorum vitio. Hoc etſi non ignorem putavi tamen perrumpendum eſſe & frangendam glaciem. Id quod facio nixus non meis viribus, quas ſcio nullas eſſe, ſed illius bonitate in cujus manibus ſunt omnes greſſus noſtri, qui dirigit omnes vias noſtras; & cujus ſunt omnes bonæ meditationes cordis noſtri. Fiduciam etiam mihi parit eorum integritas & pietas qui de his rebus omnium optimè & rectiſſimè judicare poſſunt. Hi enim candide & dextre interpretari amant, quod alii ſuperbi & maligni præſertim ſiniſtre accipere gaudent.

Eò proclivius autem id conſilii cepi; quod ſemper perſuaſum mihi fuerit, majorem rationem poſteritatis noſtræ quam noſtrimet habendam nobis eſſe. Vidimus, proh dolor, & experti ſumus Eccleſiæ tempora funeſtiſſima; vidimus eam peti dolo, fraude, ſævitia, crudelitate indicibili. Vidimus eam diſſidio domeſtico & Schiſmate jam integri ſeculi laceratam. Vidimus denique cauſam malorum noſtrorum non tantum in malitia, vigilantia & vafritie hoſtium, ſed etiam ex parte in noſtra ſecuritate, negligentia & imprudentia poſitam eſſe. Atque utinam dicere mihi omnino fas eſſet, nos ea mala vidiſſe! Vtinam in præſens iis penitus liberati eſſemus! Vtinam ea in futurum charæ præſertim poſteritati noſtrę metuenda non eſſent!

Hæc cùm mecum cogitarem: præterita mala deploranda ita quidem exiſtimavi, ut præſentia & futura non negligenda putarem. Quorum remedium ac προφυλακτικὸν cum in antiquitatis Eccleſiaſticæ theſauro ſecundum Scriptu-

Scripturam ſacram, quæ nobis omnis veræ prudentiæ norma eſſe debet, reperire liceat: quamvis potius moleſtiam ac laborem devorandum mihi putavi, quam ut illud volens ſupprimerem. Etenim Eccleſiæ veteris prudentia verbo Dei conformis non poteſt non utiliſſima eſſe Eccleſiæ ultimorum temporum; modo ea uti velimus, atque imitatione noſtra eam exprimere. Fruſtranea autem erit illa magno cum malo publico atque privato noſtro ſi eam aſpernemur, hoc eſt, media neceſſaria dedignemur conſervandæ & propagandæ veræ Religionis, pacis Eccleſiæ, & tranquillitatis Reipublicæ.

Cum autem labor iſte totus non exiguæ molis & temporis ſit; partem illius ſaltem ſuſcipere in præſentiarum volui. Qua in re ab ea parte auſpicandum duxi, quæ naturæ ac dignitatis ratione omnium prima eſt: in qua agitur de *prudentia veteris Eccleſiæ, quæ immediate circa Deum verſatur.* Vbi obſervandum eſt, ita connexas eſſe partes prudentiæ Eccleſiaſticæ, ut ea quæ im-

media-

mediatè circa Deum verſatur, non penitus excludere poſſit officii noſtri quaſdam partes quæ circa homines quoque certa ratione verſantur: quemadmodum vicè verſa reliquæ partes quæ immediatè circa homines verſantur, Deum non excludunt. Diſcrimen autem in eo eſt, quod aliæ immediate & principaliter, aliæ autem mediate ſaltem & ſecundariò circa Deum vel homines occupantur.

Vobis autem, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI & SPECTATISSIMI VIRI, has laboris illius mei primitias quaſi conſecrare volui; eo quod vobis præcipue debeatur. Pænes vos enim poſt Illuſtriſſimos & Potentiſſimos Ordines fœderati Belgii, ac Illuſtriſſimum Principem Auraſionenſem, nec non Illuſtres & Potentes Ordines Tranſiſulaniæ, præcipua atque ordinaria cura eſt provinciæ hujus, in qua Deus domicilium mihi conceſſit. Conſtituit igitur vos Deus in eo gradu ac dignitate ut inter Nutritios Eccleſiæ ac columina Reipublicæ ſitis; qui-

bus

bus cura incumbit conſervandæ ac propagandæ veræ Religionis, pacis Eccleſiæ, &tranquillitatis Reipublicæ. Quo veſtro officio tanta cum pietate, diligentia, vigilantia, prudentia, defungimini, ut inde ſingularis fructus ad Eccleſiam redeat atque Rempublicam. His virtutibus veſtris confiſus non dubito quin gratus Vobis futurus ſit tractatus hic, in quo tanquam in ſpeculo videbitis relucere prudentiam qua utimini in conſervanda ac propaganda vera Religione; cujus prudentiæ primaria pars eſt zelus Dei. Hunc enim in animo veſtro accenſum eſſe docuiſtis non ita pridem inſigni exemplo, quo inſolentiſſimorum Sacerdotum quorundam collegium abutentium prudentía ac bonitate veſtra eo uſque, ut quamvis ſubditi veſtri ſint in Religionem tamen Veſtram adeo contumelioſi ac protervi eſſent, ut ne à ſævitia quidem in mortuos abſtinerent, in ordinem redegiſtis; adeoque in modum laudatiſſimorum

Princi-

Principum veteris Eccleſiæ Chriſtianæ, probrum hujus provinciæ è medio tuliſtis.

Pergite, MAGNI VIRI, ea veſtra prudentia porrò quoque pro viribus uti ad conſervandam veram Religionem & procurandam pacem Eccleſiæ. Ita dubium non eſt, quin Deus gubernationi veſtræ, perſonis & familiis veſtris magis ac magis ſit benedicturus. Et me quod attinet, ſervare mihi non dedignemini affectum illum ac benevolentiam veſtram cujus certum me eſſe jubet experientia ipſa, quæ me totum VOBIS devinxit. Spondeo viciſſim me, quia gratus eſſe non poſſum, ingratum ſaltem non futurum, &, ſiquidem aliud non liceat, apud DEUM perpetuum deprecatorem pro veſtra proſperitate, apud homines autem adeoque ipſam poſteritatem præconem prudentiæ, pietatis & affectus veſtri erga Eccleſiam, atque amoris erga Religionem ſemper futurum. Conſervate igitur mihi benevolentiam illam, qua animum mihi addetis,

detis, ut in ſuſcepto labore hoc graviſſimo de prudentia antiquitatis priſcæ alacrius pergam ad Eccleſiæ pacem & Reipublicæ tranquillitatem. Valete etiam atque etiam, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI DOMINI, in Chriſto Ieſu. Scripſi Daventriæ 20 Iunii 1633.

Magnificentiæ, Nobilitatis, Amplitudinis & Dignitatis veſtræ

obſervantiſſimus

NICOLAUS VEDELIUS.

PROLEGOMENA
in Libros
DE PRUDENTIA VETERIS ECCLESIÆ.

CAPUT I.

De objecto ſeu materiâ hujus operis in genere.

1 *Prudentiæ Eccleſiaſticæ deſcriptio.* 2 *Ejuſdem diviſio ſeu diſtinctio in ſpecies.*

1 DE prudentia veteris Eccleſiæ acturus; quædam tum de materia tum de ſcopo ac fine operis hujus in anteceſſum monere neceſſum habeo. Prudentiam intelligo non hujus ſeculi, hoc eſt, prudentiam mundanam, nec non verſutiam, vafritiem, artes quibus mundus res ſuas facere conſuevit; ſed veram ſapientiam cum circumſpectione atque dexteritate conjunctam in negocio Religionis & rebus Eccleſiæ prudenter utiliterque gubernandis & adminiſtrandis. Prudentiam eam intelligo, quam Servator noſter commendat dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*: Quod præceptum quàm obſervatu neceſſarium ſit omnibus qui Religionem *Matth. 10.16.* veram profitentur, ſeu Principes illi & Magiſtratus, ſeu Antiſtites & Doctores Eccleſiæ, ſeu alioquin hujus membra ſint; ſando ſatis ex-

primi non poteſt. Nam ſi in aliis quibuſcunque rebus,ſive Politicæ,ſive Oeconomicæ ſint, prudentia opus habent qui proſperè illis defungi, atque calamitatum privatarum & publicarum quas imprudentia ſecum trahit expertes eſſe volunt: multo magis profecto neceſſaria eſt prudentia in negocio iſto omnium lōgè difficillimo, maximo, ſaluberrimo: quod rectè prudenterque tractatum infinitam bonorum ſegetem producit; imprudenter autem adminiſtratum Iliadem malorum,non veræReligionis culpa, ſed hominum vitio ſecum trahit.

2 Eſt autem prudentia quemadmodum in aliis rebus ita quoque in negocio Religionis duplex: naturalis una,acquiſita altera. Naturalem voco eam, quæ peculiari dono Dei à natura homini ineſt. Qualis fuit prudentia Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui Eccleſiam illam tem-

Socr. VI. 18. pore Theodoſii junioris rexit. Hic enim, ut Socrates de eo memorat, φυσικῶς φρόνιμος ἦν, *naturali prudentia pollebat.* Talis etiam fuit prudentia monachorum bonorum veterum qui, ut Sozomenus

Sozom. I.12. ſcribit, μόνῃ φυσικῇ καὶ ἀπειρεργῷ φρονήσει· *ſola naturali prudentia, quæ nulla cura & labore acquiſita erat, præditi fuerunt.* Altera ſpecies prudentiæ acquiſita eſt,quæ labore naturalia dona ingenium ſcilicet & judicium excolit & experientia id quod eis per naturam deeſt,compenſat. Eſt vero experientia illa vel propria,vel aliena,vel ex utraque mixta.Illa prima paucioribus datur tum ob vitæ brevitatem, tum ob varia impedimenta ac triſtes caſus,quibus humana ſors pro uniuſcujuſque conditione obnoxia eſt; præterea etiam illi qui eam acquiſivit magno conſtat, multis ſcilicet adverſitatibus & malis, quæ tum ipſe tum

alii ipſius ſæpè imprudentia & culpa perpeſſi ſunt. Adeoque nemini optandum eſt, ut ſola ſua propria experientia veram prudentiam ſibi acquirat: idq; eo minus, quod ea non niſi poſt longos annos & vix quidem acquiri poteſt, qua acquiſita ubi maximè idoneum ſe rebus vel in Eccleſia, vel in Repub. gerũdis reddidit, nec ſibi nec Reipub. ob inſtantem vitæ terminum diu utilis eſſe poteſt. Quod ii experiuntur qui vitam omnem peregrinationibus, adeoque propria experientia conſumſere. Tutiſſima eſt ſecunda ſpecies experientiæ, ſed non perinde utilis; quandoquidem alienam tantum experientiam ſpeculari, atque interim nihil agere vel pati, inutile eſt Reip. atque Eccleſiæ. Tertia autem ſpecies etſi tantum ſecuritatis non habeat atque hæc ſecunda, eſt tamen tutior prima & utraque longè utilior. Nam ex una parte homo periculorum & malorum frequentia non obruitur. Sed multa quæ alioquin propria adverſitatum experientia diſcenda eſſent, ipſe alienis impenſis, quod ajũt, damniſque acquirit: adeoque felix in eo eſt, quod eum *faciunt aliena pericula cautum*. Ex altera parte per propriam experientiam cautior, alienæ experientiæ ſibi adaptandæ judex magis idoneus, & rebus gerendis longè aptior fit, quia in propria experientia non omnem ætatem inſumſit, ſed propriam aliena juvit maturius, atque ante ſenium ad res gerendas accedit, & ſic Eccleſiæ Reipublicæq; diutius utilem operam navare poteſt. Ex quo apparet quàm tum in aliis rebus tũ in negociis Religionis & Eccleſiæ gubernãdis, adminiſtrandis, tractãdis neceſſaria res ſit nõ propria ſolũ experientia ſapere velle, ſed alienam quoque in auxilium ſibi aſciſcere, & ex

ea etiam prudentiam ſibi comparare. Porro manifeſtum eſt, propoſitum nobis eſſe hic agere de prudentia ea, quæ per experientiam alienam acquiritur, adeoque tam naturalem perficit prudentiam, quàm eam quæ per propriam experientiam acquiri poteſt, plurimum ſublevat; de qua jam oſtendendum eſt, unde ea peti & acquiri poſſit.

CAPVT II.

Vnde haurienda & petenda ſit prudentia Eccleſiaſtica oſtenditur.

1 Prudentiam Eccleſiaſticam non in Schola hujus mundi diſcendam eſſe oſtenditur ex verbo Dei & experientia Eccleſiæ. 2 Inſigne hujus rei experimentum in Amphilochio Iconii Epiſcopo experte prudentiæ hujus ſeculi. 3 Objectioni reſpondetur.

1 TEnendum igitur, quemadmodum hic nõ agimus de prudentia hujus mundi & verſutia ſeculi; ſed de prudẽtia Eccleſiæ: ita eã quoq; non in ſchola mũdi diſcendam eſſe, ſed in ſchola Eccleſię. Neq; enim illi qui negocium Religionis tractare & res Eccleſiæ gubernare & adminiſtrare volunt, verſutiam mundanam in hoc ſanctuarium inferre debent, ſed meminiſſe etiam

Rom 12. verſ. 2. hac in parte præcepti divini: *Ne vos configurate ſeculo iſti; ſed transformate vos per renovationem mentis veſtræ ad hoc ut probetis quæ ſit voluntas Dei, bona illa, placens ac perfecta.* Nam ubi verſutia humana res ſacræ tractantur, neceſſe eſt eas profanari, Religionem corrumpi, Eccleſiam in Synagogam

gogam migrare, pacem illius in funeſta diſſidia converti, & Reipublicæ tranquillitatem in bella cruenta abire. Hoc qui in Eccleſia Chriſtiana eveniſſe non videt, næ ille ſponte cæcutire vult. Imo tantum abeſt, ut mundana verſutia rebus Eccleſiæ feliciter tractandis idonea ſit, ut potius Deo pro inſcrutabili illius ſapientia placuerit res Eccleſiæ Religioniſque plantare & augere per eos qui verſutiæ mundanæ & rerum hujus ſeculi expertes erant. Etenim initio ſtatim Eccleſiæ Apoſtolicæ *non elegit multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles: verum quæ ſtulta ſunt mundo elegit Deus, ut pudefaciat ſapientes.* Et tamen in quantam molem ac magnitudinem Eccleſia & quidem exiguo tempore ſurrexit! Ex eo tempore ſubinde Deus in conſervanda, propaganda, reſtituenda Religione uſus eſt eorum opera qui verſutiæ ſeculi exſortes erant: atque oſtendit, prudentius feliciuſq; eos ſępe agere in eo maximi momenti negocio, & maximas res efficere, qui rerum mundanarum expertes, quam ii qui in earum uſu triti erant.

1 Cor. 1, 26.27.

2 Memorabile hujus rei exemplum (ut quæ recentiora, adeoque magis invidioſa ſunt multis, omittam) vidit vetus Eccleſia ſub Theodoſio Magno Imperatore. Cum enim nimium licentiæ ſibi ſumſiſſent Ariani, & non ſolum conventus ſuos in ipſa urbe Conſtantinopolitana haberent; ſed etiam liberrimè in foro dogmata ſua contentioſis diſputationibus tuerentur: ac neque Conſtantinopolitanus nec alii Epiſcopi, nec denique quivis alius utut rerum uſu polleret, obtinere à Theodoſio potuiſſent, ut eam licentiam compeſceret; quod Imperator initio exiſtimaret, ut Theodoritus ſcribit, nimis ſeverū

Thed. V. 16.

Sozom. VII.

& inclemens id eſſe: venit tandem Conſtantinopolim ſalutandi Imperatoris gratia Amphilochius Iconii oppidi ſatis ignobilis Epiſcopus, ſenex ille quidem, ſed ut Sozomenus eum deſcribit ἁπλοῦς καὶ τῶν πραγμάτων ἀπειρὸς, περὶ δὲ τὰ θεῖα νοῦν ἔχων, *ſimplex & nullo rerum mundanarum uſu attritus, ſed prudens circa res divinas*. Vnde etiam Theodoritus eum σοφώτατον, *ſapientiſſimum* appellat. Is itidem petit, ut Arianis non permitterentur conventus, quos in urbe inſtituere ſolebant. Sed fruſtra. Amphilochius igitur poſtquam tum quidem tacuiſſet; μνήμης ἀξίαν ἐξεῦρε μηχανὴν, *artem excogitavit memorabilem*, ait Theodoritus, qua rem confectam dat. Nam cum alio tempore rurſus in Palatium veniſſet, ac Imperatori filius aſtaret Arcadius quem nuper Imperatorem juxta ſecum crearat, Patrem quidem uſitata ſalutavit atque humilima reverentia, filio autem parem debitumque honorem non exhibuit; quin potius accedens, ut Sozomenus notat, eum tanquam puerulum privatum compellat; *Salve*, inquit, *mi fili*, & manu caput ejus demulcet. Commotus ad iram Theodoſius, cum indignatione objurgat Amphilochium quod filium contumelioſe habuiſſet, dum eum honore æquali debitoque non affeciſſet, ſimulque foras per contumeliam ejici jubet. Ille vero cum raptaretur, converſus: ad hunc modum, inquit, exiſtimâ Imperator, cœleſtem Patrem excandeſcere in eos qui Filium cum Patre non æqualiter honorant, & eum, Patre inferiorem natura dicere audent. Hoc audito Imperator revocat Epiſcopum, veniam ab ipſo petit, factum dictumque ejus admiratur, legem extemplo fert ac pœna conſtituta Arianorum conventus tollit, diſputationes ab iis in foro in-

ro inſtitui vetat, ipſeque in vera Religione, in qua antea vacillare videbatur, magis confirmatus fuit, nec in poſterum aditum ad ſe præbuit illis qui ipſum à vera Religione abducere vellent. Vide quantum unus homo rerum hujus ſeculi imperitus efficere potuerit! Niſi forte exiguum ſit effeciſſe res maximas, quas plurimi rerumm undanarum divinarumq; peritiſſimi & in majore auctoritate conſtituti efficere non potuerunt; Imperatoris ſcilicet animum in Religione vera, in qua aliquantum vacillabat confirmaſſe, Arianorum conventus ac licentiam repreſſiſſe, atque jus veræ Eccleſiæ contra illos feliciter aſſeruiſſe. Sic itaque conſtat prudentiam ſecularem gubernandæ Eccleſię & tractando negocio Religionis idoneam non eſſe.

3 Quod non ea mente à nobis dicitur, ac ſi homines Politica prudentia præditos à Religionis negocio & rebus Eccleſiæ ex vocatione ipſorum tractandis arcere velimus. Abſit: nam modo verbi gratia Magiſtratus ſuæ vocationis limites non violet, & in partes Epiſcopo ſeu Paſtori proprias ac peculiares non involet, ipſius omnino eſt, ni atheus eſſe velit & Eccleſiam prodere, negotium Religionis tractare, ac res Eccleſiæ, prout convenit vocationi ipſius, gubernare. Sed hoc volo, eum, qui res Eccleſiæ tractare prudenter feliciterque vult, non debere in eo ipſo facto prudentia mundana aut quæ Reipub. adminiſtrandæ propria eſt, ſed prudentia Eccleſiaſtica uti: non minus atque in actionibus, quæ Reip. & Oeconomiæ propriæ ſunt, non prudentiâ Eccleſiaſticâ, ſed in Politicis politica in Oeconomicis Oeconomica adhibenda eſt. Dico in actionibus propriis Politiæ & Oeconomiæ: nam

ſunt quædam actiones communes, quæ ad omne negocium, ſeu Eccleſiaſticum, ſeu Politicum, ſeu Oeconomicum ſit, ſeſe extendunt: in quibus certe prudentia Eccleſiaſtica quædam omnibus modis neceſſaria eſt; nimirum ea, quæ immediate circa Deum verſatur, & in veritatis divinæ ac vitæ ſanctæ zelo conſiſtit, quam nobiliſſimam partem prudentiæ eſſe ſuo loco oſtendemus.

Capvt III.

Quomodò prudentia Eccleſiaſtica in Schola Eccleſiæ diſcenda ſit?

1 Eam à Deo petendam eſſe. 2 Scripturam ſacram normam eſſe illius. 3 Adminiculo antiquitatis Eccleſiaſticæ opus eſſe. 4 Et in eum finem non omnes actiones omnium ut ut inſignium & Orthodoxorum ſervorum Dei imitandas, nec omnes actiones diſſentientium condemnandas ac rejiciendas eſſe, oſtenditur memorabili exemplo Epiphanii, Theophili Alexandrini, S. Chryſoſtomi, & Siſinnii Novatianorum Epiſcopi. 5 In exempla prudentiorum ſervorum Dei intuendum eſſe. 6 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veteris cognitionem ad eam rem eſſe neceſſariam. 7 Quo fine hiſtoria Eccleſiaſtica ſcripta ſit ex Theodorito oſtenditur.

1 CÆterum diximus prudentiam Eccleſiaſticam in Schola Eccleſiæ diſcendam eſſe. Vnde jam facile intelligi poteſt, quomodo ea pruden-

prudentia acquiri poſſit. Primò enim, & ante omnia ea ab Eccleſiæ Doctore ſummo petenda eſt. *Quod ſi cui veſtrûm*, ait Apoſtolus, *deeſt ſapientia, petito à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat, & dabitur ei: ſed poſtulet eam cum fide nihil ambigens*. Atque ubi à Deo eam impetraverit; perpetuo eum invocet, quo actionibus ſuis benedicat. Etenim abſque illius benedictione nullum conſilium, nulla prudentia, nulla ſapientia quicquam poteſt. Vnde quotieſcunque in hoc opere hunc vel illum fructum bonumque eventum Prudentiæ aſſcribimus; in eo nos divinam gratiam ac benedictionem perpetuo præſupponere atque illi in ſolidum omne bonum aſſcribere nos unuſquiſque exiſtimet. *Iac. 1. 5. 6.*

2 Deinde accedat neceſſum eſt lectio ac meditatio diligens Scripturæ ſacræ. Ex hac enim ut ex fonte haurimus nobiliſſimam partem prudentiæ Eccleſiaſticæ, quæ circa veram Religionem adeoque Deum immediatè verſatur. Deinde ex ea actiones veræ prudentiæ ab actionibus falſæ prudentiæ diſcernimus. Quæ enim verbo Dei conformes ſunt actiones, aut ei non repugnant, eæ veræ prudentiæ ſunt: quæ autem ei repugnant, illæ aut ad verſutiam, aut ad imprudentiam pertinent. Adeoque Scriptura ſacra eſt norma, ad quam omnes illius actiones examinandæ ſunt. Habemus quoque in ea exempla prudentiæ & imprudentiæ Eccleſiaſticæ plurima præſertim illius quæ circa Religionem veram immediatè verſatur: in quæ perpetuo intueri debemus. Quin etiam illa nobis ſola ad prudentiam Eccleſiaſticam in ſe ſufficit; adeo ut alia adminicula aſſciſcere opus non eſſet, ſi abſq; humana partim malitia partim infirmitate foret.

Verum enimvero quia tanta hoſtium externorum & internorum à dextra & à ſiniſtra malitia,copia,potentia; tanta fidelium quoque infirmitas eſt,ut de eorum imprudentia Servator noſter conqueratur, cum dicit: *Certè filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in ſuo genere*: hinc non minus adminiculis in hac parte opus eſt, quam ad cognitionem veritatis & vitam ſanctè degendam. Nam quamvis ſacra Scriptura in ſe ſufficiens ſit,ad docendum nos omnia ea,quæ ad doctrinam non minus quam ad vitam ſanctè inſtituendam pertinent, & *perfectum reddere poſſint hominem Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructum*: tamen ob cauſam modo à nobis allegatam, tam ad veritatem divinam quam ad vitæ pietatem hominum animis inſtillandam, & contra, ad evellendos errores, & ad averruncanda vitia,plurimis adminiculis opus eſt, uſque adeo ut etiam diſciplinæ traditæ à Gentilibus oppidò Eccleſiæ Dei neceſſariæ ſint.

Luc. 16. 8.

2 Tim. 3.16.17.

3. Hinc jam tertio loco opus eſt ad prudentiam Eccleſiaſticam acquirendam cognitione antiquitatis Eccleſiaſticæ. Hæc enim nobis circa particulares illius prudentiæ actiones exempla atque experientias ſuggerit plurimas notatu digniſſimas. In ea conſpicimus varios caſus,varias viciſſitudines Eccleſiæ; modo eam in gravi periculo,modo in flore conſtitutam;modo proſperè agentem,modo in extrema calamitate poſitam; modo ab Hæreticis, modo à Tyrannis infidelibus petitam cernimus. In ea videmus, quanta nonnunquam prudentia inſignes ſervi Dei, Imperatores dico, Principes, Epiſcopi, Doctores cæteraque membra Eccleſiæ uſi Religionem, Eccleſiam atque cum ea Rēpublicam defenderint,

con-

conſervarint, auxerint, atque in ſecundo & proſpero ſtatu collocarint. Rurſus quantas calamitates per imprudentiam Eccleſiaſticam, per contentiones, diſſidia, impietatem, æmulationes, zelum intempeſtivum, affectus inordinatos, aliosque errores quos in tractandis rebus Eccleſiæ Principes, Paſtores, populi commiſerunt, Eccleſię ac ſibi ipſis attraxerint; perſecutiones dico, cædes, ſupplicia, everſiones Regnorum, urbium, Eccleſiarum, familiarum. In ſumma videmus, in ea illos qui negocium Religionis atque Eccleſię tractabant, prudenter interdum egiſſę, & ſic Eccleſiæ profuiſſe ſibique ipſis non nocuiſſe: interdum autem imprudenter egiſſe, & ſic Eccleſiam ſeq; ipſos graviſſimis miſeriis implicuiſſe. Videmus etiam in illa, quanto cum furore Tyranni, quanta cum verſutia & vafritie Hæretici Eccleſiam aggreſſi fuerint & in ruinam atque exitium ipſius conſpirarint. Uno verbo; ſi illorum temporum actiones atq; eventus, ſiniſtros præſertim (nam à prudentia veteris Eccleſiæ certè hodie longo intervallo abſumus) cum moderno Eccleſiæ ſtatu conferas, deprehendes eandem quod dicitur fabulam agi, atque ex iisdem erroribus easdem calamitates, & contrà, ſi quid prudenter in Eccleſia hodie geritur, eundem bonum ſucceſſum ſequi; deprehendes etiam iisdem machinis iisdem artibus hoſtes Eccleſiæ uti hodie quibus contra veterem Eccleſiam uſi fuerunt. Ut adeo Eccleſia vetus Chriſtiana nos prudentiam doceat utroque modo, nimirum tàm prudentia quàm imprudentia; tàm exemplo, quã damno ſuo. Quæ etiam cauſa eſt, cur hoc opus *de prudentià veteris Eccleſiæ* inſcripſerimus: quia ſcilicet vetus Eccleſia experientia ſua adeoque

tam

tam exemplis quam damnis ſuis nos docet prudentiam in Religionis negocio tractando atque Eccleſia gubernanda&adminiſtranda. Eò autem melius ex antiquitateEccleſiæ prudentia hæc diſci poteſt; quod ea liberrime ſine ſpe ſine metu nobis commonſtrat quæ facienda quę omittenda in hoc genere ſunt. Si quæ enim abOrthodoxis recte geſta ſint, ea exhibet adeoque imitanda proponit: ſi autem à piiſſimis etiam ſeu regibus ſeu doctoribus Eccleſiæ aliquid ſecius factum ſit;id etiam abſq; fuco commemorat, quo ſcilicet nobis à ſimilibus nævis ac vitiis caveamus. Rurſus ſi quid ab Heterodoxis & Schiſmaticis laude dignum geſtum ſit;nec illud reticet, adeoque ruborem nobis incutit eorum virtute,quæ tamen Orthodoxi propria eſſe debet. Qua libertate nobis quoque,quibus propoſitum eſt candidè atq; ingenuè agere, in hoc tractatu neceſſario utendum eſt. Unde nonnunquam nævi magnorum ſervorum Dei,qui in vetereEccleſia ſeu inter Principes ſeu inter Doctores emicuêre,indicandi ſunt, non ex noſtro,ſed veteris Eccleſiæ,imo ipſius Scripturæ judicio. Quod à nobis fit non ſuggillandi ſtudio à quo per Dei gratiam longe abſumus; ſed eodem fine quo ipſe Spiritus ſanctus in Scriptura ſacra nævos ac vitia inſignium virorum Dei nobis ante oculos ponit:quo ſcilicet inter alia caveamus nobis, ne in eundem lapidem offendamus, adeoque in eãdem calamitatem ac pœnam incidamus; ac ut humanæ naturę imbecillitatem agnoſcentes humiliter coram Deo atque hominibus verſemur; & ad illius gratiam abſque qua nihil poſſumus unicè perpetimque confugiamus. Hunc finem propoſuit ſibiTheodoritus,cum de Athanaſio in-

juſtè

juſtè & indicta cauſa in exilium ejecto à Conſtantino Magno loquitur: καὶ ταῦτα λέγω &c. τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐπιδεικνὺς τὴν ἀσθένειαν, καὶ διδάσκων ὡς οὐ χρὴ μόνον τοῖς κατηγοροῦσι πιστεύειν &c. *& hæc dico ut oſtendam humanæ naturæ infirmitatem, & doceam ſimul non ſolis accuſatoribus credendum eſſe, quamvis alioquin fide digni ſint.* Theod. l. 33.

4 Neque enim is qui prudentiam Eccleſiaſticam acquirere ſibi vult, imitari debet omnes actiones Orthodoxorum utut inſignium ſervorũ Dei; qua κακοζηλίᾳ multi laborant: rurſus etiam non omnes actiones diſſentientium condemnandæ & rejiciendæ ſunt; ſed eſt quando Orthodoxorum quorundam actiones quædam rejiciendæ, & contra errantium quorundam actiones imitandæ ſunt. Chryſoſtomi, Epiphanii, Theophili Alexandrini magna nomina ſunt, & fuerunt in Eccleſia: Siſinnius contra Novatianorum Epiſcopus fuit. Vixerunt illi ſimul ſub Arcadio Imperatore. At quis non videt Epiphanii imprudentiam, Theophili verſutiam, malitiam ac vindictæ ſtudium qua uterq; Chryſoſtomum oppreſſit, imitandam nobis non eſſe? Chryſoſtomum ipſum quod attinet, eum iracundiorem, æquo rigidiorem, nonnunquam & inflexibilem, „ ſicque imprudentiorem fuiſſe, obſervat antiqui- „ tas. Adeò ut aliquando cùm ipſi ſimultas cum „ Severiano alio Epiſcopo intercederet, quam „ extinctam Imperatrix Eudoxia cupiebat, vix ab „ eâ flecti ad veniam dandam Severiano potuerit, „ quamvis illa filiolum ſuum Theodoſium, jam „ tum Imperatorem & collegam Patris, ad genua „ ejus abjiceret, & multis modis ipſum adjuraret. „ Quibus etiam nævis ipſius abuſi æmuli & ini- „ mici, in non vulgares calamitates eum conjecê- „ re. Si-

„ re. Siſinnius contra placidior, moderatior, frigi-
„ dior, quod ajunt, & ſic prudentior fuit. Cui cum
„ Chryſoſtomus aliquando iratus diceret urbem
„ Conſtantinopolitanam non poſſe duos Epiſco-
„ pos habere; reſpondit Siſinnius nihil commotus:
„ *nec etiam habet*. Magis tunc commotus Chryſo-
Socr. ib. „ ſtomus inquit, *video te ſolum velle eſſe Epiſcopum*:
cap. 20. „ Ibi alter: *non hoc dico, ſed quod tibi ſoli non ſim E-*
„ *piſcopus, cùm aliis ſim*. Chryſoſtomus hoc reſpon-
„ ſo rurſus ad irã commotus: ἀλλ' ἐγὼ, ἔφη, παύσω προσ-
„ ομιλεῖν· αἱρετικὸς γὰρ ὑπάρχεις. *at ego efficiam ut non*
„ *amplius tibi concionari liceat, nam Hæreticus es*. Ad
„ has minas atque ad hoc convitium alius fortè
„ æque ferventis ingenii atque S. Chryſoſtomus
„ fuiſſet, in quas viciſſim minas, aut ſaltem, in quæ
„ convitia erupiſſet? At Siſinnius πρὸς τοῦτο χαλεπαίνοντας
„ ὑπήντησε. ἀλλ' ἐγὼ, ἔφη, καὶ μισθὸς παρέξω. εἴ με τηλικούτου κηδά-
„ του ἀπαλλάξειας. *placide ac facete reſpondet: Ego vero*
„ *tibi etiam mercedem dabo, ſi me tanto onere liberave-*
„ *ris*. Vide nunc fructum reſponſi hujus. Chryſo-
„ ſtomus cujus ut Epiſcopi Conſtantinopolitani
„ & viri ſummi ſumma auctoritas erat multum
„ moleſtiarum faceſſere potuiſſet Siſinnio. Sed
„ contra evenit, nã Chryſoſtomus διαμαλαχθεὶς ἐκ τῆς
„ ἀποκρίσεως· ἀλλ' οὐκ ἄν σοι παύσω τοῦ προσομιλεῖν ἐγω, εἴ σε
„ ὅλως τὸ λέγειν λυπεῖ. *mitigatus hoc reſponſo; quan-*
„ *doquidem video moleſtum tibi eſſe concionari, nolo te*
„ *impedire quominus in concionando pergas*. Adeo in
„ poſterum nihil moleſtiarum amplius exhibuit Si-
ſinnio: qui etiam omnibus non ſuæ ſolum ſectæ
hominibus ſed etiam Orthodoxis populis, Epi-
ſcopis, Imperatoribus ob ingenii placiditatem
& ſimiles virtutes gratus fuit: cum contrà Chry-
ſoſtomus Imperatorem, Imperatricẽ, principes
alioqui pios, nec non Epiſcopos complures ſibi
adverſarios partim ſua partim ipſorum culpa ha-
buerit.

buerit. Quis non videt igitur Siſinnii potius moderatum & ſedatum animum quam iracundiam Chryſoſtomi imitandam eſſe?

5 Itaque imitanda nobis ſunt non vitia & nevi Orthodoxorum, ſed ſequendæ virtutes; *quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque* Phil. 4.
juſta, quæcunque pura, quæcunque boni nominis, ſi 8.
qua virtus, ſi qua laus eſt, ut Apoſtolus loquitur. Ac præſertim imitanda eſt prudentia quorundam inſignium luminarium Eccleſiæ, quæ ob eam ab antiquitate commendatur. Inter hos excelluere Athanaſius Alexandrinus, Atticus Conſtantinopolitanus, Innocentius Romanus, Gregorius & Porphyrius Antiocheni Epiſcopi. Ob prudentiã laudatus & in admiratione fuit Athanaſius non ſolum ab imperatore Ioviniano orthodoxo, ſed etiam ab hoſte ſuo infenſiſſimo Conſtantio imperatore Arianis addicto, ut capite ſecundo libri primi videbimus, ubi etiam de Attici & Gregorii Antiocheni prudentia quædam commemorabuntur. Innocentium ſucceſſorem Anaſtaſii in Epiſcopatu Romano commendat Theodoritus quod fuerit vir ἀγχινοίᾳ καὶ συνέσει κοσμούμενος, *ingenii & prudentiæ ornamentis egregiè inſtructus*. Et de Theod. V.
23.
Porphyrio Antiocheno idem commemorat quod
τῇ πυκνότητι διέπρεπε φρενῶν, *magna prudentia inſignis* Ib. c. 35.
fuerit.

6 Porro ex nulla parte antiquitatis Eccleſiaſticæ melius hauriri poteſt prudentia veteris Eccleſiæ quam ex hiſtoria illius. Ea enim præcipuè & ex profeſſo nobis exhibet viciſſitudines illas & varios caſus Eccleſiæ, qui aut prudentiam aut imprudentiam illius inſecuti fuerunt. Maximè autem enitet in ea primorum ſex ſeculorum hiſtoria, quibus Eccleſia & perſecutiones graviſſimas

viſſimas exantlavit, & proſperitate ſumma gaviſa eſt, adeoque imprudentiæ, prudentiæ; zeli, impietatis exempla nobis ſuppeditat maximè inſignia. Etſi enim non negem eos ex veteribus, qui hiſtoriam illarum ætatum literis conſignarunt, nævos ſuos quoſdam (homines enim erant) habuiſſe; tamen nunquam gratiam ſatis dignam meritis ipſorum, reddere illis Eccleſia poteſt, ob inſignem iſtum & nunquam ſatis laudandum laborem, abſque quo eſſet, ſe ipſam Eccleſia ex majore ſui parte ignoraret. Scripſerunt illi, quæ partim ipſi oculis ſuis uſurparunt, partim ex certiſſimis archivorum & aliorũ monumentorum teſtimoniis authenticis maximam partem hauſerunt; ut apud ipſos videre eſt. Et eo quoque certior eſt hiſtoria illa, quod bona illius pars non ab uno ex veteribus, ſed à pluribus, qui uno eodemque tempore in diverſis locis vixerunt, conſcripta eſt; qualis eſt hiſtoria rerum geſtarum inde à Conſtantino Magno uſque ad Theodoſium Iuniorem, quæ præſertim à Socrate, Theodorito, Sozomeno, & Ruffino conſcripta eſt: inter quos non vulgaris profecto conſenſus eſt.

7 Atque ea quidem literis conſignarunt non nudæ ſpeculationis aut jucunditatis gratia; ſed præcipue ut utilitatem ex illarum rerum cognitione poſteritas caperet eam, de qua nos in præſentiarum agimus; hoc eſt, imitaretur quæ recte & prudenter, contra vero fugeret quæ perperam & imprudenter à majoribus facta eſſent.
Throd.I. 1. Hunc finem indicat Theodoritus, qui ideo hiſtoriam iſtorum ſeculorum ὀνησιφόρα διηγήματα, *utiles narrationes* vocat, & ideo eas non ſine ſcelere taceri potuiſſe ait: οὐ γὰρ ᾤην ὅσιον, λαμπροτάτων ἔργων καὶ ὀνησι-

ὀνησιφόρων δογμάτων τὸ κλέος παριδεῖν ὑπὸ τῆς λήθης συλώμενον. *exiſtimavi, haud ſine ſcelere fieri potuiſſe, ut factorum ſplendidiſſimorum & utilitatis plenarum narrationum gloria oblivioni traderetur.* Atque ideo nonnunquam factum aliquod ſpeciale commemorans indicat ſe utilitatis gratia inde percipiendæ & actionum ut par eſt inſtituendarum ergo hoc vel illud commemorare. Cujus rei paulo ante exemplum vidimus, ubi Athanaſio à Conſtantino Magno factam injuriam commemorat. Idem facit, ubi Theodoſii M. crudelitatẽ erga Theſſalonicenſes patratã exhibet. Ait enim: ἐρῶ δὲ τοῦτο τῆς τῶν ἐντευξομένων ὠφελείας ἕνεκα. *dicam autem hoc propter utilitatem eorum, qui lecturi ſunt hoc opus.* *Theod. lib. V. 18.*

CAPUT IV.

De objecto ſeu materiâ ſpeciali hujus operis.

1 Dividuntur actiones prudentiæ Eccleſiaſticæ in duas ſpecies. 2 De qua ſpecie illius agere in præſenti tractatu Auctori ſit propoſitum.

1 Conſiſtit autem prudentia Eccleſiaſtica in variis omnino actionibus & diverſiſſimis, pro diverſitate objectorum & rerum, quæ in negocio Religionis atque Eccleſiæ occurrunt. Quædam enim illius prudentiæ actiones immediatè circa Religionem veram Deumque verſantur; eæque vel communes ſunt omnis generis & conditionis hominibus, vel peculiares aut Magiſtratui, aut iis qui docendi partes in Eccleſia obtinent. Quædam autem mediatè circa Re-

ligionem, immediatè verò circa homines verſantur, eoſque vel Orthodoxos vel errantes. Quæ circa Orthodoxos occupantur, ſunt tum Magiſtratus; & vel circa totam Eccleſiam, vel circa Paſtores illius verſantur; tum Paſtorum, qua erga Magiſtratum Orthodoxum, qua erga collegas, qua erga populos: tum denique Populorum erga Magiſtratum, erga Paſtores, erga alium quemvis proximum ſuum. Actiones autem prudentiæ Eccleſiaſticæ, quæ circa errantes verſantur, rurſus duum generum ſunt: prout ſcilicet errantes vel fundamentum Religionis negant, & hæretici ſeu infideles ſunt; vel illud profitentur quidem, in aliis tamen dogmatis errant. Circa omnes hos actiones etiam diverſiſſimæ ſunt, tam pro diverſa conditione Orthodoxorum, quàm pro diverſa conditione ipſorum errantium. In quibus omnibus quantum momenti poſitum ſit, unuſquiſque facile colligere poteſt. Vno verbo, actionum earum natura talis eſt; ut ſi eæ obſerventur & adhibeantur prout par eſt, Religio non ſolum conſervetur, ſed etiam incrementa ſumma capiat; Eccleſiæ pax pariter aut conſervetur aut reſtituatur; Reſpublica tranquilla ſit & floreat; Principi, Magiſtratui, docentibus & paſcentibus Eccleſiam, ſingulis denique membris Eccleſiæ bene ſit: contra ſi negligantur, aut perperam inſtituantur & adhibeantur, plurima atque horrenda mala in Ecclesia, Republica, familiis eveniāt, unde ſera, ſed tarda nimis pœnitentia vel negligentiæ, vel érroris admiſſi oritur; prout iſthæc omnia veteris Eccleſiæ prudentia, hoc eſt, exēpla & experimenta illius nos docebunt.

2 Mihi in præſentia propoſitum eſt, agere non

non de omnibus prudentiæ illius partibus & actionibus. Nam hæc res ut latiſſimè patet, & ſummam rerum varietatem continet, circumſpectionem denique ſingularem flagitat; ita non unius anni eſt, homini præſertim in publica & laborioſa per ſe functione conſtituto, & aliis quę eam comitantur nonnunquam diſtracto. Sufficiet mihi in præſens agere *de prudentia veteris Eccleſiæ ea, quæ immediatè circa Religionem veram Deumque* OPT. MAX. *verſatur*: & ſic hominibus Religionis veræ, pacis Eccleſiæ, adeoque etiam tranquillitatis Reipublicæ amantibus guſtum dare ingentis illius theſauri qui in antiquitate Eccleſiaſtica ſecundum ſcripturas latet. Quod ſi forte eveniat (prout res humanæ variis vicibus & calamitatibus obnoxiæ ſunt) ut ego omnem illum theſaurum è latebris ſuis non eruam, & totum hunc laborem contexere, adeoque difficilimam illius partem quæ agit de prudentia veteris Eccleſiæ circa homines, aggredi nequeam: non deerunt, ſpero, qui totam rem melius quam ego confectam dare poterunt. Si tamen intellexero laborem meum gratum eſſe Eccleſiæ, & Deus Mæcenates ac fautores hujus conatus mihi largiatur; operam omnem dabo, annuente gratia divina, abſque qua nihil poſſumus, nullam moleſtiam, nullas vigilias, nullum laborem detrectabo, quantum quidem profeſſionis & valetudinis meæ ratio patietur, ut argumentum hoc graviſſimum ad finem pro mea tenuitate perducere poſſim.

Capvt V.

De fine hujus operis.

1 Finis hujus operis quis? 2 Omnes qui veram Religionem profitentur opus habere prudentiâ Eccleſiaſticâ. Inſignis ſententia Sozomeni in eam rem. 3 Præſertim autem eos, qui aliis præſunt, eâ opus habere, ac ſpeciatim Principem ſeu Magiſtratum.

1 TEndo autem, quantum in me poſitum eſt, ad eum finem, ut vera Religio conſervetur, à fraudibus eorum qui illam evertere conātur, vindicetur, ad charam noſtram poſteritatem, cujus potior quam noſtri habenda eſt ratio, propagetur; ut aurea pax in Eccleſiis, in quibus eſt conſervetur, in quibus amiſſa eſt reſtituatur; ut concordia & pulcra animorum harmonia inter ſingula membra Eccleſiæ vigeat: ut Magiſtratui cum Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiæ, his cum illo, populo denique inter ſe, & cum Magiſtratu, & cum docentibus, ſanctè & optimè conveniat.

2 Prodeſſe igitur ego, qui nihil me eſſe optimè ſcio, hoc qualicunque labore meo optarim omnibus cujuſcunque conditionis hominibus. Omnes enim quotquot ſumus, & inæſtimabili Dei beneficio ad ipſius veram agnitionem & Eccleſiæ Orthodoxæ communionem vocati ſumus, adeoque partes noſtras in Eccleſiæ ac Religionis negocio habemus, profecto opus habemus ex Servatoris noſtri præcepto, ut ſimus *prudentes ſicut ſerpentes.* Hoc ſatis inculcari nobis non poteſt, ob ſummam naturæ noſtræ fragilitatem

tem, quæ quidem tanta eſt, ut plerumque ab eo aberremus quod nobis revera utile eſt, & id ſectemur, quod noſtris affectibus ac deſideriis utut vitioſis & noxiis reſpondet. Quod magis eſt, ſæpe ne tum quidem ſapimus, cum noſtro magno malo erravimus; ſed in eundem iſthmum relabimur, atque ad ea, quæ magis deſideramus, recurrimus. In quam rem pręclare Sozomenus ait: Φιλεῖ πῶς ἡ ἀνθρωπίνη φύσις ἐν τοῖς καθ' ἡδονὴν πρὸς τὸ ἀσύμφορον ῥέπειν, καὶ τοῦτο μόνον συνοίσειν οἴεσθαι ὃ κατορθοῦν βούλεται· ἀτεχνῶς τε ὑπὸ τῆς ἐντεῦθεν ἀπάτης κεκρατημένη, οὔτε προμηθείᾳ τινὶ τὸ συμφέρον ἰδεῖν δύναται, οὔτε πείρᾳ κινδύνων σωφρονιζομένη πρὸς τὸ δέον ἀνανήφει. *Natura humana plerumque in iis quæ jucunda ſunt, ad id fertur quod noxium eſt, & exiſtimat id ſolum profuturum, quod propoſuit ſibi faciendum. Hac præconcepta fraudulenta opinione ubi ſemel occupata mens eſt, fit, ut neque prudentia ulla perſpicere poſſit id quod utile eſt, neque per experientiam malorum ſapientior reddatur, aut ad ſobrietatem officiumque adduci queat.* Sozom. V. 21.

3 Præſertim autem ea neceſſaria eſt illis, qui aliis præſunt. Vt enim his duplex cura incumbit, ſui ſcilicet & aliorum, de qua utraque Deo & nonnunquam hominibus reddenda ratio eſt: ita duplice circumſpectione opus habent. Et ut illi in eminentiore gradu conſtituti ſunt; ita nullius hominis aſpectum fugere poſſunt; ſed patent omnium oculis, & ſingularum ſuarum actionum obſervatores plures habent. Vnde fit, ut qui in Magiſtratu ſeu Politico, ſeu Eccleſiaſtico conſtitutus ſit, naturæ ſuæ indolem celare diu non poſſit; ſed qua in poteſtate conſtitutus eſt, & libertatem agendi ſeu veram, ſeu imaginariam

habet, facilè in apertum proferat animi indolem, quæ tot teſtium & obſervatorum oculos effugere non poteſt. Vnde rectè Euagrius de
Euagr. V. 15. Mauricio Imperatore loquens ait, qualis indolis & animi vir ille fuerit non melius poſſe cognoſci quam ex ipſius Imperio, quod τεχνώτερον διεσάφησε τὸν ἄνδρα, *manifeſtiorem fecit indolem ipſius* τῷ αὐτεξουσίῳ καὶ τὰ ἔνδον ἀναπτύξασα, *dum per ſummam libertatem agendi etiam ea quæ animo occluſa erant omnium oculis expoſuit.* Et Princeps quidem ideo maxime prudentia Eccleſiaſtica opus habet, quia nutritius Eccleſiæ eſt, ac non ſolum eam in cæteris fovere, ſed etiam adverſus hoſtes ac Tyrannos defendere tenetur. Qua in re niſi prudenter agat, in graviſſimas calamitates Eccleſiam, Regnum, Rempublicam & ſe ipſum conjiciet; quemadmodum Iuſtino ſecundo Imperatori contigit, qui defenſionem fidelium Perſarum oppreſſorum à Rege ſuo ſuſceperat, ſed imprudenter in eo negocio ſeſe geſſerat: de qua re alio tempore, ſi Deus volet, hoc eſt, in ea parte prudentiæ veteris Eccleſiæ agemus, quæ immediatè circa homines verſatur.

Capvt VI.

Epiſcopis, Doctoribus & Paſtoribus Eccleſiæ cur neceſſaria ſit prudentia Eccleſiaſtica.

1 *Cauſa prima: gravitas muneris eorum qui in Eccleſia docent.* 2 *Cauſa ſecunda, infirmitas humana peculiaris quodammodo huic vitæ generi, experien-*

tiâ

tiâ Chryſoſtomi & Epiphanii, nec non judicio Alexandri Conſtantinopolitani. 3 Moleſtiarum, periculorum magnitudo, quibus docentes in Eccleſia præ aliis obnoxii ſunt. Quatuor illorum periculorum genera ex veteris Eccleſiæ experientia producuntur. 4 Eos qui ſe ad miniſterium obeundum præparant, plurimum opus habere prudentia illa. 5 Concluſio horum προλεγομένων.

1 PRæ omnibus autem prudentia opus habent, qui in Eccleſia Dei docendi partibus defunguntur, & gregem Dei paſcunt. Idque ob tres præcipue cauſas: primo ob gravitatem muneris: quod ut difficilimum eſt ita per conſequens rectè adminiſtratum ſummorum & indicibilium bonorum cauſa eſt; ſi autem non adminiſtretur ut par eſt, graviſſima mala inde imprudentia & culpa hominum enaſcuntur. Et pro prudentia aut imprudentia docentium & paſcentium, Eccleſia aut pacata aut turbata eſt; vulnera ejus aut curantur, aut ei infliguntur. Ego profecto non ſatis venerari poſſum dictum inſigne magni illius Theologi Davidis Paræi ſenis prudentiſſimi piæ memoriæ; qui alicubi de lamentabili ſchiſmate Eccleſiarum Germanicarum, ex quo tot fluvii ſanguinis per tot annos erupêre, qui etiamnum noſtro noſtrorumque liberorum cruore fluunt, loquens non tam dicit, quam (ut Dei ante omnia miſericordia erga miſeram Germaniam multorum, deinde bonorum Principum & verorum Theologorum pietate, qui patriam ſuam in cineres propemodum ac favillas redactam compaſſionis oculo reſpicient,

nixus confido) prædicit : *prudentia & moderatio Doctorum controverſias tollet.* Aphoriſ. præfat.

2 Secunda cauſa eſt poſita in magnitudine infirmitatis humanæ,quæ non ſolum nobis communis eſt cum cæteris hominibus, ſed etiam vitæ & profeſſioni noſtræ peculiari modo adjacet. Eſt enim illa ob pietatis profeſſionem ac ſtudium (quod in nobis præcipue eſſe debet ſerium & ſummum)ſimplicioris moris : quæ res in vitio nequaquam,ſed in laude ponenda eſt;modo ex mandato Servatoris ſimplicitas columbina illa conjuncta ſit cum prudentia. Sed in hac parte ut plurimum nobis cõtingit,quod S.Chryſoſtomo ſummo illi viro contigit, qui ut Socrates de eo memorat, διὰ μὲν ὀρθότητα βίου οὐκ ἀσφαλὴς ἦν πρὸς τὰ μέλλοντα· δι' ἁπλότητα δὲ εὐχερὴς· *ob vitæ probitatem non ſatis prudenter futura expendebat, & ob ſimplicitatem & ſinceritatem facilis nimium erat*, Et inde proficiſcitur,quod facile etiam decipi poſſumus ac circumveniri ab hominibus aſtutioribus , ut nonnunquam ea imprudenter ſuſcipiamus, quorum nos poſtmodum pœnitere , ſed ſero nimis ſolet, ubi vidimus ea Eccleſiæ,aliis,nobis ipſis nocuiſſe: prout Epiphanio contigit, cui veterator ille Theophilus Alexandrinus callidè perſuadendum putavit, ut ſe ipſi ad Chryſoſtomum opprimendum jungeret : Socr.VI. 3.

Ἐπιφάνιος δὲ, ait Socrates, δι' ὑπερβάλλουσαν εὐλάβειαν ἁπλοϊκὸς ὢν τὸν τρόπον ταχέως ὑπήχθη ὑπὸ τῶν Θεοφίλου γραμμάτων. *Epiphanius autem quod ob ſummum ſtudium pietatis ſimplicior eſſet , facile circumventus fuit literis Theophili.* Denique exinde fit,ut quando adverſarii aut æmuli noſtri, præſertim autem Doctores Hæretici per ſua in- Ibid. 2.

ſtru-

ſtrumenta inſidias honori aut vitæ noſtræ ſtruunt; nos dum vocationi noſtræ ut debemus ſerio ſeduloque intenti ſumus, negligamus ſæpe pericula illa, & ſic incauti in ea incidamus, non ſine magno malo noſtro & jactura Eccleſiarum quibus fideles Paſtores præſunt. Ita eidem Magno Chryſoſtomo contigit eo tempore quo Theophilus & Epiphanius ei inſidias ſtruebãt. Etenim *μικρὰ φροντίσας τῶν μηνυθέντων αὐτῷ παρά τε Επιφανίου καὶ αὐτοῦ Θεοφίλου, τῇ διδασκαλίᾳ τῶν ἐκκλησιῶν προσεῖχε τὸν νοῦν, καὶ ἤνθει μὲν κατ᾽ αὐτὴν· τῆς δὲ κατ᾽ αὐτοῦ γενομένης σκευωρίας οὐδένα λόγον ἐτίθετο.* Socr. VI. 9. *parum curabat ea, quæ ipſi ab Epiphanio & Theophilo ipſo ſignificata erant, ſed tantum intentus erat curæ docendarum Eccleſiarum, qua ſumma cum laude defunctus eſt: interim inſidiarum, quæ adverſus ipſum ſtruebantur, nullam planè rationem habuit.* Atque ob hanc cauſam ipſe Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus Arii adverſarius ſtrenuus, cum tempore filiorum Conſtantini Magni è vita hac diſceſſurus eſſet, ſciſcitantibus Clericis, cui Eccleſiæ adminiſtratio deferenda eſſet, judicavit ſe in toto Clero ſuo unum aliquem invenire non poſſe, qui ſimul polleret laude & pietatis & prudentiæ neceſſariæ ad obeundum totius Orientis primarium Epiſcopatum, in quo inter alias difficultates ſæpe Epiſcopo cum Imperatoribus agendum eſſet de rebus Eccleſiæ. Quare duos ipſis proponit, in quorum uno pietas, in altero prudentia in iſto Epiſcopatu neceſſaria reperiebatur. Si, inquit, virum pietate ſpectatum aptumque ſimul ad docendum quæritis, Paulum eligite: *εἰ δὲ πρὸς τὰ ἔξω γράμματα καὶ συνουσίας τῶν ἀρχόντων·* Sozom. III. 3. *ſi autem hominem ad res externas gerendas & ne-*

& negocia, quæ nobis intercedunt cum Principibus deſideratis, Macedonius melior eſt. Nec erravit in ſuo judicio. Nam Paulus vir Orthodoxus & pius οὐδεμίαν ἐπιβουλὴν τῶν ἐπανασάντων αὐτῷ διέλυσεν, *nullas inſidias adverſariorum à ſe depulit*, quamvis à plebe adamatus eſſet. unde factum ut Epiſcopatu dejiceretur ab adverſariis, & tandem Arianorũ fraude ac inſidiis ἐλεεινῶς δι' ἀγχόνης τεθνάναι, *miſere ſtrangulatus fuerit*, ut ferunt. At Macedonius mox manifeſtam fecit impietatem & hæreſin ſuam, quam animo occultaverat, adeoque re ipſa oſtendit, pietatem ab Alexandro merito in ipſo deſideratam fuiſſe. Vnde patet inæſtimabile Dei beneficium eſſe, & non ſatis eĩ gratias agere poſſe pro eo illos (quorum per Dei gratiã non pauci reperiuntur) Doctores & Paſtores Eccleſiæ, qui ſimul veram prudentiam cum vera pietate & ſolida eruditione ab ipſius benignitate acceperunt.

3 Tertia cauſa eſt periculorum magnitudo, quæ vocationem hanc comitari ſolent. Sunt autem ea quatuor generum: primo enim habet illa partim contemtores, partim oſores plurimos, etiam ex iis, qui ſe Eccleſiæ membra eſſe profitentur; præcipue autem homines vitæ impietati deditos, quorum ſcelera ſi reprehendas, illi ultionem meditantur, ſæpe etiam cum vitæ tuæ periculo. Imo ſæpe etiam homines alioquin non mali, ubi ob vitium reprehenſi à Paſtore ſunt, odium adverſus eum concipiunt, maximè ſi ii qui reprehenduntur, Principes, Reges, Magiſtratus ſint. Expertus id eſt Chryſoſtomus. Hic enim dum vitia reprehendit imperantium, dum animadvertit ſeverè in eos ex Clero qui ſe male gerebant; in odium incurrit Imperatoris, Imperatricis

tricis, virorum Principum & Cleri ſui. Vnde mille machinæ adverſus ipſum: quibus non ſolum factum, ut Epiſcopatu privaretur, & in exilium ejiceretur; ſed etiā inſidiæ vitæ ipſius per ſicarios ſubornatos ſtrictæ fuerint. Subornatur vir quidam dæmoniis agitatus ſeu verè ſeu fictè, qui deprehenditur pugione armatus, & inſidiatus Chryſoſtomo. Item paulo poſt Elpidii presbyteri ſervus concitato curſu in Epiſcopales ædes fertur. Quidam ex iis qui aderant eum agnitum remoratur & curſus cauſam inquirit. Ille vero nihil reſpondens, gladiolo ferit hominem, & poſt eum quoque ſecundum, qui clamorem ſuſtulerat cum primum vulneratum vidiſſet. Præter hos etiam tertio plagam infert. Tumultuantibus igitur cum clamore iis, qui aderant, fugam capit; & cum hi qui eum inſequebantur illos, qui procul erant hortarentur ut ſicarium comprehenderent; accurrit quidam ex balneo recens lotus & ipſi manum injicit, at lethaliter ab ipſo percuſſus, mortuus extenditur. Tandem cum vix à multitudine undique cinctus ac captus eſſet, ducitur ab ea in Palatium Imperatorium: ibi tum de inſidiis Chryſoſtomo ſtructis, de ſubornato ſicario, patratis ab eo cædibus teſtantur, tum ſuppliciis afficiendos hoſtes Chryſoſtomi vociferantur. Præfectus ut iram populi mitigaret, illum tanquam ſupplicio affecturus cuſtodiæ tradit. An autem ſupplicio affectus fuerit, non conſtat. Hoc ſaltem conſtat, eum, ſi pœnam tulit ſceleris, non ob inſidias Chryſoſtomo ſtructas, ſed ob cædem ejus, qui ipſum prehenderat, punitum fuiſſe. Nam Chryſoſtomus juris nihil ab hoſtibus ſuis impetrare aut expectare potuit. Deinde fieri vix poteſt, quin fidelis ſervus Dei, præſertim ſi officio

Sozom. VIII. 21.

ſuo

ſuo præclare & præ cæteris functus fuerit,æmulos habeat,& ſibi adverſarios aliquos ex fratribus & collegis ſuis,qui nonnunquam ipſum opprimere conabuntur.Id quod expertus eſt idem Chryſoſtomus , ut ſuo loco porro videbimus. Quam in rem prudentia armatum ſervum Dei eſſe oportet,eo magis quod ab inſidiis domeſticorum ſibi cavere difficilius eſt, & calumniæ virorum alioquin fide dignorum ac ſociorum fidem facilius inveniunt.Præterea prudentia opus habent Doctores & Paſtores Eccleſiæ adverſum Hæreticos , qui quemadmodum hoc agunt , ut Eccleſiam veram evertant ; ita præſertim vim & inſidias parant adverſum Doctores illius,præſertim eos qui ſe ipſorum ſtrophis,erroribus,conatibus vigilanter & fortiter opponunt , prout libro tertio videbimus voluminis hujus , cum agemus de ea parte prudentiæ Doctorum Eccleſiæ,quæ in defenſione veritatis conſiſtit. Quarto graviſſima pericula ipſis imminent tempore perſecutionis. Tunc enim Doctores & Paſtores Eccleſiæ præſertim & ante omnes petuntur , atque ab ipſis perſecutionis initium fieri ſolet,quæſitis occaſionibus & accuſationibus,præſertim rebellionis , proditionis & communicationis cum hoſtibus Principis , quo prætextu poſtea perſecutio ad reliquam Eccleſiam extenditur; quemadmodum ut aliorum exemplorum brevitatis cauſa jam non meminerim , ſub Conſtantino Magno contigit. Hujus tempore in Perſia Chriſtiana Eccleſia magnopere creverat. Quam rem ægre ferentes Iudæi , (quibus naturale odium Chriſtiani nominis,ut rectè Sozomenus ait, ineſſe ſolet) ut curſum Euangelii inibi impedirent & ad perſecutionem ſuſcipiendam Saporem Regem impel-

impellere poſſent, Symeonem Epiſcopum Seleuciæ & Cteſiphontis accuſant apud eum ὡς φίλον ὄντα τῷ Καίσαρι τῶν Ῥωμαίων καὶ τὰ τῶν Sozom. II. 8.
Περσῶν πράγματα καταμηνύοντα. *tanquam amicum Cæſaris, & prodentem ei quæ à Perſis gererentur.* Quæ res movit Saporem ut Symeonem catenis vinctum ad ſe adduci juberet, quem poſtea obtruncari curat, & graviſſimam perſecutionem ea occaſione contra Chriſtianos ſuſcipit. His ac tantis periculis expoſita eſt vocatio hæc. Unde apparet, quantopere opus ſit prudentia munitum pectus adverſus ea habere. Quam neceſſitatis cauſam in periculis conſiſtentem maniſeſtè indicat Servator noſter. Nam hortaturus Apoſtolos ad prudentiam, præmittit cauſam: *Ecce ego mitto vos ut oves in medium luporum; eſtote* Matth. 10.16.
igitur prudentes ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ. Cavete ab hominibus. 17.

4 Ex his intelligere poſſunt illi qui dum in ſacroſanctæ Theologiæ ſtudio verſantur præparant ſeſe ad ſanctum miniſterium in Eccleſia obeundum; quantopere opus ipſi habeant cognitionem prudentiæ veteris Eccleſiæ maturè ſibi comparare. Hi enim ſub initium miniſterii graviſſima errata committere poſſunt, adeoque plurima mala & facere & pati per imprudentiam. Ab illis erratis & malis immunes ſeſe per Dei gratiam præſtabunt, ubi, antequam ad miniſterium accedant, propriæ experientiæ defectum per alienæ cognitionē compenſaverint, & in veterem Eccleſiam intuētes, illius vel exemplis vel dãnis ſapere didicerint. Quod ubi faciēt & Eccleſiæ & ſibi egregie conſulent, fructumq; auferent indicibilem, qui etiam in totam domum Dei per

eos

eos redundabit, & contra à graviſſimis malis gregem ſibi commiſſum ſeque ipſos immunes præſtabunt.

5 Atque hæc quidem etiam de ſcopo & fine hujus operis dicta ſunto. Ex quibus jam ſatis colligi poteſt, prout illud manifeſtius quoque & uberrime ex ipſo tractatu cognoſcetur; quantus theſaurus etiamnum in priſca Antiquitate ac præſertim Hiſtoria Eccleſiaſtica lateat. Quo magis deplorandæ ſunt vices temporum noſtrorum, quibus ſtudium hoc adeò neglectum jacet, ut nihil ſupra. Quotuſquiſque enim eſt, qui antiquitati Eccleſiaſticæ & cognitioni rerum in Eccleſia vetere geſtarum ſe addicat? aut quotuſquiſque eſt, qui legens & evolvens ea monumenta, referat res geſtas ad eum ſcopum ad quem ipſæ à Scriptoribus Eccleſiaſticis conſignatæ ſunt, hoc eſt, ad ſe ipſum inſtruendum in negocio Religionis tractando & rebus Eccleſiæ gerendis atq; adminiſtrandis. Quæ etiam cauſa fuit, præter principes fines quos hactenus commemoravi, hujus à me ſuſcepti operis: ut nimirum velut indice digito oſtendens quantus theſaurus in antiquitate ac præſertim Hiſtoria Eccleſiaſtica lateat, incitarem alios, juventutem præſertim maturiorem, ad hoc quoque ſtudium excolendum & ad eruendum theſaurum eum, qui in ea ſe ipſis ditiſſimè offert. In qua re ſi aliquid mea opella ipſi conferre & prodeſſe poteſt, gratum id mihi erit. Si quibus autem conatus meus diſplicet, eos rogo ut bonam voluntatem, qua Eccleſiæ Dei inſervire cupio in optimam partem interpretentur, & in judicio de hoc labore meo memores ſint præcepti Dominici & naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Non autem

tem dubito, quin ingratus futurus ſit labor hic cuidam maledicentiſſimo hominum generi, quod novandi ſtudio pruriens omnia in Religione ſurſum deorſum vertere jam per aliquot annos conatur. De hoc maledicentiſſimo hominum genere (ut patet ex reſponſo quod Tractatui meo de Arcanis ſuis oppoſuerunt ad me ſub finem menſis Martii perlatum) juſtam conquerendi occaſionem habeo, & brevi efficacius volente Domino conquerar. His diſpliciturum etiam atque etiam laborem meum certus ſum, quia alicubi novandi pruritui contrarius eſt. Sed eorum judicia ego non curo, qui virulentia ſua cordatiorem me reddunt ad officium adverſus ipſorum conatus pro viribus faciendum. Mihi ſufficiet, ſi piis, pacis Eccleſiæ & veræ Religionis amatoribus aliquando ſatisfacere poſſim; qui, quemadmodum non negabunt eos magnum operæ precium facere, qui ex antiquitate profana monita politica colligunt vitæ communi inſervientia, judicabunt me ſaltem non malè feciſſe quod ex antiquitate Eccleſiaſtica monita Eccleſiaſtica collegerim negocio omnium quotquot ſunt & graviſſimo & ſaluberrimo inſervientia. Eo autem æquiorem judicem unumquemque bonum laboris mei habiturum ſpero; quod non mihi arrogem me alios prudentiam docere poſſe. Nam ut ego mortalium Orthodoxorum neminem imprudentiæ aut malè facti accuſo cujuſcunque conditionis & ſtatus ſit; ita neminem etiam prudentiam docere præſumo. Ipſe enim conſcius ſum mihi tenuitatis meæ, ac toto pectore cupio in ea parte, ut & cæteris, ab unoquoque diſcere; & aliis omnibus, ſpeciatim conſervis meis, in quocunque loco terrarum ſint, libenter ut aliarum

rum virtutum ita etiam prudentiæ laudem concedo, cum gratiarum actione erga Deum pro donis, quæ in ipſos contulit ad compactionem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti. Prudentia vero, cujus ego hæc monita propono, nequaquam mea eſt, ſed poſt ſacram Scripturam eſt veteris Eccleſiæ, & Scriptorum illorum laudatiſſimorum priſcorum ex quorum monumentis ea congeſſi. Itaque poſt Deum & ſacram Scripturam illis acceptum ferendum eſt, quicquid boni in hoc labore meo eſſe poteſt: de me autem unuſquiſque pius judicet quod volet.

Tandem oro, ne quiſquam exiſtimet, me hoc labore meo ullius Eccleſiæ aut Reipublicæ peculiaribus & propriis ſeu conſtitutionibus ſeu conſuetudinibus quicquam derogatum velle. Sed omnes ac ſingulos cujuſcunque conditionis homines ſint rogo, ut, ſi quid rectius & utilius obſervant, quam à vetere Eccleſia obſervatum fuit, retineant illud: ſi autem deprehendant in vetere Eccleſia rectius quid actum eſſe quam apud ipſos fit, rogo ne quid innovare præſumant abſque conſenſu Eccleſiæ ſuæ & eorum ad quos res iſta pertinet; quo ita pax & concordia integra maneat. Et novi ego in vetere Eccleſia uſitata quædam fuiſſe, quæ his temporibus aut his locis nequaquam conveniunt; quare etiam ea in hoc opere omitto & taceo. Quæ autem ex Eccleſiæ veteris prudentia hîc obſervo; pleraque talia ſunt, ut in omnibus locis ſint obſervanda; qualia ſunt ea præſertim, quæ in ipſo verbo Dei quoque diſtinctè præcipiuntur: quædam autem ſed pauciora etſi talia ſint, ut non in omnibus locis fieri poſſint, tamen in aliis utiliter uſurpari queunt

queunt. Quare in prudentia veteris Eccleſiæ imitāda, hæc obſervanda prudentia eſt, ut unusquiſque videat quid Eccleſiæ ſui loci aut temporis quàm maximè expediat; ſed abſque pruritu novandi, & abſque ſtudio ac periculo diſcordiæ diſſidiique ſerendi, ut dixi. Vnum adhuc monebo, me in allegatione Euſebii, Socratis &c. numerum capitum retinuiſſe quem Latina verſio obſervat, idque Lectoris ſublevandi cauſa, cui lingua Latina familiarior fere eſſe ſolet. Ubi tamen Latinarum editionum numerus à Græci textus numero differt, hunc quoque expreſſi. De ſtyli nitore & verborum phaleris ſollicitus non ſum: propoſitum enim mihi eſt non verba ſed res ſectari. Quam ob cauſam etiam Methodum meam non involvo & tego artificio Rhetorico; quod alioquin facile mihi fuiſſet. Sed malui rerum perſpicuitati & Lectoris utilitati conſulere. Vnde me nō piget, nūc diviſiones inſtituere, nunc connexiones aperte proferre, quæ alias artificio celari ſolent. Vale, pie Lector, & in laboris hujus compenſationem Deum roga ut porro vires animi & corporis mihi concedat, quas tibi cum omni abundantia benedictionum divinarum ex animo opto.

DE PRVDENTIA VETERIS ECCLESIÆ LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Enumerantur mala graviſſima, quæ Imprudentia in negocio Religionis & rebus Eccleſiæ tractandis producit.

1 *Imprudentiam in negocio Religionis, cauſam eſſe turbarum in Eccleſia, oſtenditur : & quidem primò perſecutionum Eccleſiæ; experientiâ & horrendo exemplo Eccleſiarum Perſicarum ſub* Theodoſio *Iuniore.* 2 *Imprudentiam cauſam eſſe diſsidiorum, ſchiſmatum & hæreſium in Eccleſia oſtenditur experientiâ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Arcadio Imperatore, nec non exemplo Neſtorii, & experientia Eccleſiæ Romanæ ſub Damaſo.* 3 *Imprudentiâ diſsidia quæ ſunt augeri etiam ab eo, qui mederi illis vult, oſtenditur experientia Eccleſiæ Antiochenæ & exemplo Luciferi Cataritani Epiſcopi.* 4 *Imprudentia hominem tempore perſecutionis à fide deficere oſtenditur experientia Eccleſiæ ſub Iuliano Apoſtata.* 5 *Imprudentiâ decreta Synodorum Orthodoxarum contra errantes & Turbones irrita fieri, oſtenditur experientia Eccleſiæ totius Chriſtianæ in Synodo Ariminenſi.* 6 *Imprudentiâ*

Viros bonos nihil tale cogitantes circumveniri à verſutis hominibus, & ſcelerum ipſorum ſe complices conſtituere in detrimentum Eccleſiæ, oſtenditur exemplo Epiphanii & experientia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

1 VErbis exprimi nequit, quantum detrimenti ex imprudentia, contra vero utilitatis ex prudentia in negocio veræ Religionis tractando ac rebus Eccleſiæ gubernandis & adminiſtrandis, ad Magiſtratum, Doctores & Paſtores Eccleſiæ, totam denique Eccleſiam Dei redeat. Clarius autem illud, tutius & minore cum invidia oſtendi non poteſt, quàm experientia Eccleſiæ antiquæ Chriſtianæ.

Imprudentiâ enim ſuâ vel unus Orthodoxus, præſertim qui in auctoritate eſt conſtitutus, pacem tranquillitatemque Eccleſiæ adeoque etiam Reip. turbat & evertit. Idque duobus modis. Primò enim perſecutionem nonnunquam excitat adverſus eam, dum imprudenti vel zelo vel alio facto Orthodoxorum irritatur Princeps infidelis ac Religioni veræ non addictus, ut perſecutionem graviſſimam adverſus totam Eccleſiam ſub ipſius poteſtate atq; Imperio conſtitutam ſuſcipiat, eam libertate conſcientiarum ſpoliet, & horrendis aliis malis afficiat. Expertæ ſunt illud tempore Theodoſii Iunioris ingenti ſuo cum

malo

malo Eccleſiæ omnes Chriſtianæ qua latè patet ampliſſimum Imperium Perſicum. Etenim imprudenti zelo Audæ Epiſcopi Perſici, qui templum, in quo ignis à Perſis colebatur, everterat, factum, ut Rex Varanes, ſub quo antea pacatiſſimè vivebant & florebant, univerſalem perſecutionem contra Chriſtianos omnes ſuſciperet, Eccleſias in univerſum cunctas iis eriperet, & plurima millia hominum variis ſuppliciis è medio tolleret. Hiſtoriam narrabo breviter longè funeſtiſſimam & maximè horrendam. Iſdigerdes Perſarum Rex Chriſtianis libertatem veræ Religionis in Regnis ſuis conceſſerat; Maruthæ Meſopotamiæ Epiſcopo integrum fecerat templa ædificare ἔνθα ἂν βȣ́λοιτο, *ubicunque vellet*, ait Socrates. Magos etiam complures, qui Chriſtianos intentati contra ipſum Regem veneficii calumnioſe accuſaverant, ſupplicio extremo affecerat. Marutham permagna obſervantia colebat; Chriſtianos amabat plurimum: parumque abfuit quin Religioni noſtræ nomen penitus addiceret; id quod morte præventus, inquit idem Socrates, effectum dare non potuit. Succedit ei Varanes filius, (quem Theodoritus quoque Iſdigerden appellat) ſub quo & ipſo pacé fruebantur profunda ſubditi Chriſtiani; uſque dum facto Audæ Epiſcopi exacerbatus contra eos fuit. Erat is vir pius, & zelo ſum-

Socr. lib. VII. c. 8. Tneod. l. V. c. 38. Niceph. Call lib. XVI. c. 19.

mo pro Religione Chriſtiana præditus. Hoc ardens πυρεῖον, hoc eſt, templum in quo Ignis colebatur, demolitur. Rex de eâ re per Magos certior factus, primùm placide eum ob factũ reprehendit, & Pyreum denuo ædificare jubet. Qui cum negaret ſe mandato Regio pariturum : Rex minatur ſe omnes Eccleſias Chriſtianorum per totum ſuum Imperium deſtructurum ob πυρεῖον deſtructum. Perſtat Epiſcopus: unde factum ut Rex minis ſuis ſatisfaceret. Etenim confeſtim Epiſcopum illum occidi, & templa Chriſtianorum omnia deſtrui juſſit. Ex eo initio tempeſtas progreſſa, fluctus adverſum Chriſtianos concitavit horrendos & ſæviſſimos: & tunc cum Theodoritus hæc ſcriberet nondum ceſſarat, ſed triginta jam annos duraverat. Nec vero lenta aut blanda illa perſecutio, ſed omnis generis ſævitie enormis erat. Tormentorum genera nova & inaudita reperta, quibus corpora fideliũ excruciarentur. Nam quorundam manibus, aliorum autem dorſis corium detrahebant; aliorum capita à fronte uſque ad barbam omni cute penitus denudabant. Incidebãt etiam corpora ſanctorum ; inciſionibus arũdines ſemiſectas adaptabant; deinde vinculis arctis à capite uſque ad pedes conſtringebant, atque ita ſingulas arundines extrahebant, ita ut partem cutis ad quam admotæ erant ſimul avellerent

lerent

lerent, non ſine doloribus acerbiſſimis. Lacus etiam effodiebant, quibus probè poſtea conſtipatis murium agmina includebant; his pietatis athletas objiciebant vinctos manibus pedibuſque ut ne arcere à ſe animalcula poſſent. Mures vero fame preſſi ſanctorum corpora paulatim conſumebant, adeoque diuturnum ipſis & acerbum cruciatum inferebant, donec exſpiraſſent. Excogitabant etiam alia tormenta his graviora. Quale illud fuit, quo Benjamin Diaconus è medio ſublatus eſt. Nam præter viginti arundines præacutas per ungues manuum ac pedum trajectas, alia etiam in membrum genitale intruſa fuit, qua ſæpius extracta ac rurſus inſerta dolores ei illati fuerunt indicibiles. Poſt hunc cruciatum Tyrannus ſudem robuſtam undique eminentibus ramis aſperam in imam alvi ſedem infigi jubet. Ita tandem generoſus Chriſti athleta ſpiritum reddidit. Hæc tam ingens Eccleſiæ calamitas ſequuta eſt imprudentem zelum Epiſcopi, de quo ideo non immerito Theodoritus ait eum zelo ſuo οὐκ εἰς δέον, *non opportunè ſeu ut par erat* uſum fuiſſe. Item, ἐγὼ δὲ τὴν μὲν τοῦ πυρείου κατάλυσιν οὐκ εἰς καιρὸν γεγενῆσθαι φημί. *Ego autem Pyreì deſtructionem haud opportune ab eo ſuſceptam fuiſſe dico.* Et rationem addit; ab exemplo contrario Pauli petitam, qui Athenas cum veniſſet, & urbem idololatrię plenam vidiſſet,

diſſet, nullam ex aris quas honorabant diruit; ſed ſermone idololatriam eorum redarguit, ac veritatem illos docuit. Eodem modo Nicephorus etiam Theodoritum ſecutus judicat. Hic unus modus eſt, quo Imprudentia pacem & tranquillitatem Eccleſiæ evertit.

Socr. lib. VI. c. 16. in. Sozom. lib. VIII. c. 22. 23. 24. 25. 26. 27.

2 Alter modus eſt, dum Imprudentia Schiſmata diſſidiaque luctuoſiſſima in Eccleſia excitat. Experta eſt hoc Eccleſia ſub Arcadio Imperatore. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus dum æmulationis œſtro erga magnum Iohannem Chryſoſtomum percitus variis artibus eum evertere conatur, (quibus tādem effecit ut Epiſcopatu ſanctus vir dejectus in exilio moreretur) non prævidet Schiſma, quod ea ratione ab ipſo excitatum triginta quinque annos duravit. Nam qui eruditionem, virtutem, pietatemque Chryſoſtomi venerabantur Epiſcopi, preſbyteri, populi, rei indignitate commoti ab Eccleſia reliqua ſeceſſionem fecerunt, ac peculiarem ſectam conſtituerunt, cui *Ioannitarum* nomen datum. Vnde tumultus, incendia urbis Conſtantinopolitanæ, cædes, ſupplicia, exilia multa, aliæque calamitates publicæ graviſſimæ, quæ cum Schiſmate conjunctæ eſſe ſolent, enatæ ſunt; quas Socrates breviter, Sozomenus autem prolixius & accuratius enarrat.

Similiter ſub Theodoſio Iuniore imprudentia

dentia Neſtorii ſuperbiæ ipſius conjuncta diſſidio graviſſimo Eccleſiam turbavit. Quæ imprudentia ex eo manifeſta eſt, quod imperitus eſſet eorum, quæ in antiquiore Eccleſia ante ipſum geſta eſſent; ideo θεοτόκον, *Deiparam* virginem dicere noluit, exiſtimans rem novam eſſe: cum tamen illa vox dudum in priſca Eccleſia recepta eſſet. φαίνεται τοίνυν ὁ Νεστόριος ἀγνοήσας τὰς πραγματείας τῶν παλαιῶν, ait Socrates. *Manifeſtum igitur eſt Neſtorium imperitum fuiſſe antiquitatis Eccleſiaſticæ.* Et paulo ante dixerat hoc contigiſſe ſuperbo Neſtorio ob imperitiam & inſcitiam, quæ imprudentiæ mater ſemper eſt.

Socr. lib. VII. c. 32.

Ita quidem imprudentiâ diſſidium excitat Schiſmatis aut hæreſeos auctor. Id ubi excitatum eſt, fit ut ſimpliciores & imperitiores per imprudentiam ſuam facilè circumveniantur, inducantur & perſuadeantur ab ambitioſo & ſuperbo homine, quo ſe ipſi adjungant, adeoque diſſidium in Eccleſia planè forment; id quod poſtea in eorum capita magno ipſorum cum malo recidit. Ita enim imprudens quidam Epiſcopus, quem Ruffinus nominat imperitum & agreſtem Epiſcopum, à Diacono quodam ſuperbo Romano perſuaſus, formavit ſanguinolentum Schiſma in Eccleſia Romana, quod in perniciem & exitium auctorum ac ſectatorũ abiit. Damaſus Liberio

Ruffin. lib. II. c. 10.

 ſuc-

ſucceſſor datus erat in Epiſcopatu Romano. *Quem prælatum ſibi non ferens Vrſinus quidam* (ſunt verba Ruffini) *ejuſdem Eccleſiæ Diaconus in tantum furoris erupit, ut perſuaſo quodam ſatis imperito & agreſti Epiſcopo, collecta turbulentorum & ſeditioſorum hominum manu Epiſcopum ſe fieri extorqueret, legibus & ordine & traditione perverſis. Quo ex facto tanta ſeditio, imo vero tanta bella coorta ſunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano ſanguine Orationum loca. Quæ res factione Maximini præfecti ſævi hominis, ad invidiam boni & innocentis verſa eſt Sacerdotis, ita ut cauſa Clericorum uſque ad tormenta duceretur. Sed aſſertor innocentiæ Deus affuit, & in caput eorum, qui intenderunt dolum, pœna converſa eſt.* Et ut Socrates ac Sozomenus referunt, tam ex plebe quam ex Clero multi ſupplicijs affecti fuere: qui etiam addunt, ea occaſione ſtatum Eccleſiæ Romanæ vehementer conturbatum fuiſſe. Totum hoc evitari potuiſſet, ſi imperitus ille Epiſcopus ſuperbiæ Vrſini per imprudentiam ſuam velificatus non fuiſſet.

Socr. lib. IV. c. 24. Sozom. lib VI. c. 22.

3 Quod magis eſt, per imprudentem actionem auget nonnunquam homo Schiſma, etiam tunc cum illud componere & tollere vult; prout à Lucifero Cataritano Epiſcopo ſub Iuliano Apoſtata factum, dum Schiſma componere cupit Eccleſiæ Antiochenæ Orthodoxæ, quæ in duas factiones Meletianam

Socr. lib. II c. 4. 5. & c. 7. 8.

letianam & Euſtathianam ſciſſa erat, quarum una cum altera communionem colere nolebat. Ille dum diſſidium curare conatur, adeo illud auxit ut fere inſanabile redderet. Nam cum antea Eccleſia Antiochena non niſi unicum Epiſcopum haberet Meletium, cum quo, etſi Orthodoxam Religionem relicta ſecta Ariana amplexus eſſet, tamen quia ab Arianis ordinatus erat, multi communionem colere nolebant, ſed ſeparatim conventus inſtituebant: ille, ut apparet, improbans eandem ordinationem, Euſtathianæ parti Epiſcopum præfecit Paulinum; non conſiderans Schiſma hac ratione longe incurabilius reddi: loco quod debebat, quia factum infectum fieri non poterat, urſiſſe unionem cum Meletio Epiſcopo, qui Orthodoxæ Eccleſiæ reconciliatus erat, & propter confeſſionem liberam fidei in exilium à Conſtantio ejectus fuerat, ex quo tunc modo redierat. Hac imprudenti actione factum, ut Schiſma illud octoginta quinque annos durarit. Vidit hunc errorem initio ſtatim Euſebius Vercellarum Epiſcopus; qui cum ex Concilio Alexandrino Antiochiam veniſſet; ac vidiſſet Paulinum à Lucifero Epiſcopum ordinatum, propterea vehementer animo conturbatus fuit. Itaque κατέγνω μὲν καθ' ἑαυτὸν τοῦ γενομένου· τῇδε πρὸς Λουκίφερος αἰδοῖ σιωπήσας ἀνεχώρησεν; *condemnavit quidem*

quidem apud ſe factum illud: ſed ob reverentiam erga Luciferum tacuit ac diſceßit, poſtquam primo omnibus modis laboraſſet, ut diſſentientes ad concordiam reduceret, ſed fruſtra. Et fecerat tamen iſtud Lucifer non ſtudio diſſenſionis; ſed potius cupiebat diſſidium reſarcire. Nam, ut Theodoritus ait, cum Antiochiam veniſſet, πολλοὺς περὶ συμβάσεως λόγους καὶ τούτοις κἀκείνοις προσήνεγκε, *multos de concordia ſermones & cum hac*
Theod. lib. III. c. 5. *& cum altera parte habuerat.* Item, ait eum remedium voluiſſe affere morbo: ὁ δὲ Εὐσέβιος εἰς τὴν Αντιόχειαν ἀφικόμενος, καὶ γνοὺς ἐκ τῆς οὐκ ἀγαθῆς ἰατρείας δυσίατον τὸ πάθος γεγενημένον, *Euſebius autem cum Antiochiam veniſſet, & vidiſſet ex remedio malo malum difficile curatum redditum,* &c. Et addit Theodoritus, Luciferum οὐκ εὖγε, *non ſanè benè* feciſſe. Τοῦτο γὰρ τὴν διάστασιν ἐκείνην μακροτέραν εἰργάσατο· πέντε γὰρ καὶ ὀγδοήκοντα διέμεινεν ἔτη. *Hoc enim diſſenſionem illam multo diuturniorem reddidit; nam duravit octuaginta quinque annos.* Item: Τότε δὲ τὴν διάστασιν ὁ Λουκίφερ αὐξήσας, *tunc igitur poſtquam Lucifer dißidium auxiſſet,* &c. Hanc ipſius imprudentiam
Ruff. I. etiam Ruffinus notat; cum ait eum præpropere id feciſſe: *Præpoperus*, inquit, *Catholicum quidem & Sanctum virum Epiſcopum collocavit.*

Ita igitur per imprudentiã pax ac tranquillitas Eccleſiæ turbatur atque evertitur. Dixi autem ſimul etiam Reip. tranquillitatem per impru-

ſimprudentiam everti: Nam teſtatur experientia, nunquam Eccleſiæ pacem turbari, quin ſimul etiam Reipub. tranquillitas turbetur & evertatur. Vt adeo merito Sozomenus, poſtquam imprudenti & infelice æmulatione Theophili contra Chryſoſtomum Eccleſiæ tranquillitatem everſam exacte, ut diximus, enarraſſet, ſubjecturus mala quibus ſimul etiam Reſpublica eodem tempore afflicta fuerit, narrationem ita ordiatur: *περὶ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον, ὡς ἐπίπαν συνενεχθὲν εὑρεῖν ἐστιν ἐν ταῖς τῶν ἱερέων διχονοίαις, καὶ τὰ κοινὰ θορύβων καὶ ταραχῆς ἐπειράθη: Eodem tempore, ſicuti ſemper contigiſſe in ſacerdotum diſſidiis experientia teſtatur, etiam Reſp. motibus ac turbis agitata fuit.* Sozom. lib. VIII. c. 25.

4 Imprudentia fecit ut homo tempore perſecutionis præſertim idololatria & impiis ritibus ſeſe polluat, adeoque Chriſtum vel incautus (ſua tamen culpa, quia ſua imprudentia & incuria) abneget; & vel æternæ ſalutis jacturam faciat niſi ad Chriſtum redeat, vel patria, bonis aut etiam vita mulctetur, ubi quod imprudenter admiſit flagitium ſeria pœnitentia corrigit. Experta eſt hoc Eccleſia ſub Iuliano Apoſtata. Vaferrimus enim ille Religionis hoſtis ac perſecutor inter alias machinas *καὶ τοῦτο κατὰ τῆς εὐσεβείας ἐξεῦρε μηχάνημα, etiam hanc machinam ad Religionem Chriſtianam evertendam invenerat*, ait Theodoritus. Theod. III. 15. 16.

Nam

Nam cum militaribus ordinibus ex vetere more ipſe in ſolio Imperiali ſedens aurum diſtribueret: prope collocabat ſed contra prædeceſſorum conſuetudinem aram carbonibus accenſis plenam, & thus in menſa poſitum. Hoc mandato addito, ut quicunque aurum accepturi eſſent, primum thus injicerent aræ; tum ex ipſius dextra aurum ſumerent. Fraudem hanc qui cognoverant & conſiderarant, quantum in ritu iſto idololatrico ſitum eſſet, prudenter evitarunt: qui autem imprudentiores erant, in laqueum inciderunt. Factum ut poſt iſtam peſtilentem pecuniæ diſtributionem nonnulli qui aurum acceperant in cõvivio quodam forte una epularentur. Quorum unus ſumto in manum poculo prius crucis ſigno ſe Chriſtianum eſſe (ut veterum mos ferebat; qui quia in idololatriam abiit, in multis Eccleſiis Euangelicis ſublatus eſt, ad exemplum ænei ſerpentis, qui cum præcepto di-
2 Reg. vino à Moyſe confectus eſſet, ob eandem cau-
18.4. ſam ab Ezechia comminutus fuit) indicat. Quidam è convivis hoc conſpicatus increpat hominẽ dicens, illud rei paulo ante ab eo geſtæ prorſus repugnare. Ille ſciſcitatur, quomodo hoc, quod de repugnantia dicebat, intelligendum eſſet? Alter ei thuris, aræ καὶ τῆς ἀρνήσεως τῆς γεγενημένης, *adeoque negatæ fidei* memoriam renovat; hæc enim dicebat τῆς Χριστιανι-

τῆς ὁμολογίας ἀντίπαλα, Chriſtianæ profeſſioni contraria eſſe. Quibus auditis complures ex convivis in graviſſimos planctus & ejulatus erumpere, capillos ſibi evellere, ex convivio exſurgere, in forum procurrere, vociferari ſe Chriſtianos eſſe, ſe ab Imperatore circumventos palinodiam canere, & cladem imprudentia acceptam inſtaurato prælio ſarcire velle. Cum his clamoribus ad Regiam contendunt, ibi contra Tyranni fallacias vociferantur, ac poſtulant in ignem conjici, ut igni ante inquinati, igni denuo expiarentur. Hæc & ſimilia ab ipſis pronunciata animum execrandi illius monſtri in furorem adigunt. Itaque primum capita cervicibus abſcindi jubet: ſed paulo poſt, cum jam carnifex enſem vagina eduxiſſet, & primus ex ipſis humi genua poſuerat ictum excepturus, nuncium mittit: qui cum longo adhuc intervallo abeſſet, clamore vetuit cædem fieri: Imperatorem enim illis vitæ gratiam facere, & jubere ut in exilium abeant, atque extremas oras Imperii Rom. inhabitarent, prout etiam factum.

5 Imprudentia facit, ut Synodi Orthodoxæ decreta adverſus Hæreticos & Novatores effectum non ſortiantur: & ut res Eccleſiæ apud Principem ſeu Magiſtratum non promoveantur; contra autem Hæretici & Turbones apud ipſum obtineant, quod volunt. Experta

perta eſt hoc Eccleſia ſub Conſtantio Imperatore. Pars Synodi Ariminenſis Orthodoxa erat,& quidem longè major. Nam Orthodoxi Epiſcopi quadringenti & plures erant: Ariani autem tantum octuaginta. Poſt multos conventus, quibus nihil actum, convenit inter Orthodoxos ut ad Imperatorem mitterent decem Legatos. Ariani totidem mittunt. Sed vide imprudentiam filiorum lucis. Noſtri mittunt homines adoleſcentes, parum doctos, imperitos, imprudentes. Ariani prudentius agunt & mittunt viros ſenes, doctos, eloquentes, callidos. Quo factum ut apud Principem natura non malum, & pacis Eccleſiæ cupidum Ariani obtinerent, quæ vellent, & Orthodoxorum decreta contra eos irrita fierent. *Ad poſtremum placuit* (ſunt verba Sulpitii) *decem Legatos mitti ad Imperatorem, ut quæ eſſet partium fides & ſententia cognoſceret, ſciretque pacem cum Hæreticis eſſe non poſſe. Idem Ariani faciunt, mittuntque numero pari Legatos, qui adverſum noſtros coram Imperatore confligerent. Sed ex parte noſtrorum leguntur homines adoleſcentes, parum docti, & parum cauti. Ab Arianis autem miſſi ſenes callidi & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facile ſuperiores extiterunt.*

Sulpit. lib. 2. ad an. 359.

6 Imprudentia facit ut vir pius circumveniatur facile prætextu Religionis ab homine verſuto, ut juvet illius perverſa conſila politica

tica,ſtudium vindictæ & conatum opprimendi atque è medio tollendi collegam aut alium benè de Eccleſia aut Repub.meritum, magna cum jactura & malo Reip. vel Eccleſiæ. Experta eſt hæc illud ſub Arcadio Imperatore. Cum enim Theophilus Alexandrinus homo verſutiſſimus, cujus antea mentionem feci, vindictæ ſtudio contra Longos ardens & æmulationis œſtro adverſus S. Chryſoſtomum percitus ſibi propoſuiſſet, & illos, & maximè hunc perdere; conſiderans *μέγιςον ἀυτῷ συνοίσειν, plurimum ſibi profuturum* ſi ſocium ſuorum conatuū habere poſſet Epiphanium Salaminis in Cypro Epiſcopum, virum ea ætate ob integritatem vitæ clariſſimum; eum ſibi amicū reddit callidiſſimo & nequiſſimo conſilio, quod commemorare hic opus non eſt. Epiphanius quia ſimplicior erat, facile circumvētus fuit literis Theophili: inſervit illius ſcelerato conatui omnibus viribus, & tandem efficit,ut voto potiretur Theophilus, ac Chryſoſtomus cum maxima non ſolum jactura ſed etiam calamitate Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Epiſcopatu abdicaretur, & in exilium mitteretur, ut ſupra vidimus. Hæc mala graviſſima inter alia efficit imprudentia in negocio religionis tractando,& rebus Eccleſiæ gubernandis atque adminiſtrandis.

Vide Sozom. VIII 14. & Socrat. VI. 9.

Capvt II.

Fructus ſedecim prudentiæ in negotio Religionis proponuntur.

1. *Fructus generalis, ex Eccleſiæ experientia ſub Attico Epiſcopo Conſtantinopol.* 2. *Ex prudentia Eccleſiaſtica conſervari pacem Eccleſiæ, oſtenditur experientia eadem.* 3. *Schiſmata & diſſidia tolli Eccleſiæ, ex experientia ejuſdem Eccleſiæ ſub eodem, nec non Proclo Epiſcopo.* 4. *Mitigari iram Principis offenſi à plebe, experientia Eccleſiæ Antiochenæ & Theodoſii M. atque exemplo Flaviani memorabili.* 5. *Tumultuantes ſubditos compeſci & ad officium revocari, experientia Gregorii Antiocheni Epiſcopi & exercitus Mauritii Imperatoris.* 6. *Adverſarios veritatis percelli, etiam tunc cum rerum potiuntur, experientia Eccleſiæ in Attico & Athanaſio.* 7. *Ex latebris ſuis verſutos hæreticos elici, experientia Eccleſiæ in Synodo Nicena.* 8. *Confundi hæreticos ex proprio ſuo ore, experientia Eccleſiæ in Sylvano Tarſenſi ſub Conſtantio.* 9. *Tumultus evitari quando reformatio ſuſcipitur, experientia Eccleſiæ Conſtantinopol. in Attico.* 10. *Perſecutorum & hoſtium rabiem coërceri, experientia Eccleſiæ Antiochenæ & Apamenſis ſub Diocletiano.* 11. *Effici ut fideles ſe non polluant idololatria tempore perſecutionis, experientia fideliũ*

ſub

ſub Iuliano. 12. *Auctoritatem ſummam acquiri apud omnes, ſpeciatim apud Principes non ſolum Orthodoxos ſed etiam hoſtes; experientia Attici Conſtantinopolitani, Athanaſii Alexandrini, Gregorii Theopolitani.* 13. *Dilui calumnias vaferrimas, experientia Eccleſiæ gemina in Athanaſio accuſato ſtupri, homicidii, magiæ.* 14. *Vitam conſervari in præſentiſſimo periculo, ejuſdem experientia in eodem, item Macedonio Conſtantinopolitano; & in Theophili Alexandrini verſutia.* 15. *Fieri ut Paſtor quiete ſub Principe Orthodoxo agat, cum alius interim in graves calamitates incidit, experientia Eccleſiæ in Attico & Chryſoſtomo.* 16. *Fieri per eam ut pericula quæ poſſunt, evitentur; ad cætera autem animus fortiter ſe præparet ſubeunda, exemplo Liberii Rom.* 17. *Præſtare prudentiam cum mediocri eruditione, quam ſummam eruditionem cum imprudentia conjunctam, exemplo Attici.*

1. QVemadmodum autem imprudentia in negocio iſto maximi momēti, graviſſimorum malorum cauſa eſt: ita contra prudentia, ejus præſertim qui in Eccleſia docet, utilitates ſummas in eo adminiſtrando affert, ſicut ex Eccleſiæ veteris experientia manifeſtum eſt. In genere enim efficit, ut regnum Chriſti & Eccleſia incrementum maximum capiat: prout experta eſt illud tempore

Socrat. VII. 2. & 25. Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani ſub Theodoſio Iuniore & Valẽtiniano III. Impp. Is enim erat μετὰ τοῦ μετρίως πεπαιδεῦσθαι, εὐλαβής τε καὶ φρόνιμος· διὸ καὶ τὰς ἐκκλησίας ἐπὶ αὐτοῦ συνέβη εἰς μέγα ἐπιδοῦναι· *præterquam quod pius & mediocriter eruditus erat, etiam prudens erat: ob quam cauſam factum ut Eccleſia ipſius tempore ubique plurimum incrementi habuerit.* teſtatur Socrates. Qui etiam alibi de ipſo ait, Αττικὸς ὁ ἐπίσκοπος θαυμαστῶς πως τὰ τῶν ἐκκλησιῶν ηὔξησε πράγματα, φρονήσει μὲν αὐτὰ διοικῶν, &c. *Atticus Epiſcopus mirum quantum rebus Eccleſiæ dedit incrementi; nam prudenter eam adminiſtravit,* &c.

Socr. VII. c. 2. 2. Speciatim autem pacem in Eccleſia adeoque etiam in Rep. conſervat. Nam in unione & concordia membra Orthodoxæ Eccleſię continet: ut ex ejuſde Attici exemplo videmus, qui prudentia ſua τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως συνεκρότει, *Orthodoxos in concordia continebat*, ut idem Socrates refert.

3. Prudentia reſarciuntur & tolluntur ſchiſmata Eccleſiæ, adeoque pax ei reſtituitur. Ita idem prudentiſſimus vir prudentia ſua ſchiſma ob illatas Iohanni Chryſoſtomo injurias ortum componere cœpit, & animos hominum paulatim ad concordiam præparavit, quemadmodum de eo Socrates ait; qui cum dixiſſet eum prudentia ſua mirum quantum incrementi Eccleſiæ rebus dediſſe, addit:

συνιδὼν

συνιδὼν δὲ διαιρουμένην τὴν ἐκκλησίαν διὰ τὸ τοὺς Ἰωαννίτας ἔξω αὐτῆς συνάγεσθαι, μνείαν Ἰωάννου ἐν ταῖς εὐχαῖς ἐκέλευσε ποιεῖσθαι, ὡς καὶ τῶν ἄλλων Ἐπισκόπων τῶν κεκοιμημένων εἰώθει γίνεσθαι· διὰ τούτο πολλοὺς ἐλπίσας εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπανελθεῖν. *Cũ videret diviſam Eccleſiam, eo quod Ioannitæ extra eam conventus agerent, mentionem Ioannis in precibus publicis fieri juſſit, prout cæterorum Epiſcoporum nomina in iis commemorari ſolebant. Nam ea ratione plures ad Eccleſiam redituros ſperabat.* Hoc præclare ab Attico inceptum ad finem feliciter perduxit Proclus ex ſucceſſoribus ipſius: qui prudentia ſua id ſchiſma plane ſuſtulit. Etenim reduxit Ioannitas ad communionem Eccleſię φρονήσει παραμυθούμενος τὴν λύπην αὐτῶν, *dum prudentia dolori ipſorum ſolatium & remedium attulit*, ait idem. Id autem hac ratione effecit. Nam perſuaſit Imperatori, ut corpus Chryſoſtomi alibi ſepultum, Conſtantinopolin transferretur, & multo cum honore ac ſplendida pompa in Eccleſia Apoſtolorũ conderetur. Quod cum factum eſſet, illi qui ob Ioannem Chryſoſtomum ſeorſim conventus faciebant, ad Eccleſiæ communionem rediere. Factum id anno vigeſimoquinto poſt abdicationem ſancti illius viri.

Idem ib. c. 25.

Ib. c. 44 & 45.

4. Prudentia Paſtoris mitigat iram Principis, ubi ille offenſus à ſubditis ultionem meditatur. Teſtatur hoc experientia Eccleſiæ

Soz. VII. 23. ſub Theodoſio Magno. Cum enim per ſeditionem, ad quam haud obſcure à Diabolo impulſus erat populus Antiochenus in Syria, ſtatuas Imperatoris & conjugis ejus dejeciſſet ac fune per urbem ignominioſe raptaſſet, verbis additis contumelioſiſſimis: Theodoſius juſta ira accenſus multos ex Antiochenis ſupplicio afficere conſtituit. Hujus propoſiti fama cum Antiochiam veniſſet, plebs quæ jam deſierat furere, conſternata fuit & pœnitentia duci cœpit. Inde in gemitus & ejulationes effuſa Deo ſupplicabat ut Imperatoris iram mitigaret, cantionibus quibuſdam lugubribus compoſitis, quibus in precibus illis ſolennibus & extraordinariis utebantur. Mittitur præterea Flavianus Epiſcopus eorum ad Imperatorem; cujus exacerbatum animum ut placaret Epiſcopus, perſuaſit adoleſcentibus, qui ad menſam Imperatoris canere ſolebant, ut eas cantiones lugubres decantarent, quibus Antiocheni ob eum caſum Deo ſupplicabant. Ibi tum Imperatoris animus humanitatis affectu perfuſus & miſericordia victus ita fuit, ut lacrymis irrigaret phialam quā tum forte manu tenebat, iram confeſtim poneret, & urbi ignoſceret. Dixi ad eam ſeditionem haud obſcure à Diabolo impulſum fuiſſe populum. Fertur enim nocte quæ ſeditionis diem præceſſerat, ſpectrum mulieris viſum fuiſſe inuſi-

tata

tata magnitudine & aſpectu horrẽdum: quod in ſublimi per civitatis plateas diſcurrens aëtem diverberabat ὑπὸ μάστιγι δυσήχῳ, *flagello horriſono*, non ſecus ac fieri ſolet ab iis, ait Sozomenus, qui feras in theatro certaturas ad iram provocant.

5 Prudentia Paſtoris, ubi ſubditi à Principe diſſident ac tumultuantur, ſedat turbas & diſſidium componit. Ita ſub Mauritio Imperatore contigit, à quo totus exercitus ipſius defecerat, adeo ut res ad exitium ipſius Imperatoris ſpectaret. Seditionem hanc prudentia ſua componit Gregorius Theopolitanus, hoc eſt, Antiochenus Epiſcopus, ad id ipſum ab Imperatore rogatus. Erat autem Gregorius non ſolum ſumma perſpicacitate judicii præditus, καὶ βουλὴν ἄριστα βουλεῦσαι καὶ κρῖναι τάτε οἰκεῖα τάτε τῶν ἄλλων ἱκανώτατος, *ad optimum conſilium capiendum & ad judicandum tum de rebus ſuis tum de alienis ſolertiſſimus.* Reduxit vero ſeditioſos ad officium adeò ut etiam cum lacrymis veniam peterent; idque effecit oratione uſus idonea, ac præterea tempore captato idoneo, nimirum Paſſionis & inſtantis diei feſti Reſurrectionis Dominicæ, quo ipſe S. Cœnam iis adminiſtravit; quæ res non parum ad ſeditionem componendam adjumenti tulit.

Euagr. V. 6. & VI. 11. 12.

6 Prudentia Doctoris Eccleſiæ, hæreticorum & adverſariorum aliorum animis me-

tum injicit, eos percellit, adeoque progreſſus ipſorum impedit. Ita Atticus οὐ μόνον τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως συνεκρότει, ἀλλὰ καὶ τοὺς αἱρεσιώτας τῇ

Socr. VII. 2. φρονήσει κατέπληττε, *non ſolum Orthodoxos in pace continebat, ſed etiam hæreticos ſua prudentia percellebat.* Nam etſi eos non perſequeretur, tamen interdum terrorem ipſis incutiebat, & rurſus manſuetum erga eos ſe exhibebat. Quinimo prudentia Paſtoris formidoloſa eſt Hæreticis etiam tum cum rerum potiuntur; adeo ut, cum cæteras Eccleſias earumque Doctores perſequuntur, ipſi cum commiſſo grege moleſtiam facere non audeant, ſed eum pace frui ſinant, nec Eccleſiam ipſo vivo affligant. Experta eſt hoc Eccleſia ſub Valentiniano & Valente Imp. S. Athanaſius vir erat, ut ſupra di-

Sozom. VI, 12. ximus, non ſolum vitæ ſanctæ & inſignis eruditionis; ſed etiam ſumma prudentia præditus, qua tota Ægyptus fruita eſt. Nam cum Valens cæteros omnes in Oriente Orthodoxos crudeliter perſequeretur, Epiſcopos in exilium ejiceret aut interficeret, Eccleſias fidelibus eriperet & iis Arianos præficeret: ſolum Athanaſium Alexandrinum reliquit in Epiſcopatu ſuo, & totam Ægyptum, quæ à ſede Alexandrina pẽdebat, pace frui ſivit. Metuebant enim Ariani, ne, ſi Athanaſium ejeciſſent, ipſe ad Imperatores proficiſceretur, & vel Valentem in ſuam ſententiam pertraheret; vel Valenti-

lentinianum ut Orthodoxum impelleret ad defendendas Eccleſias contra Arianorum Tyrannidem: *μάλιστα γὰρ περιδεεῖς ἦσαν, ἐκ τῶν ἐπὶ Κωνσταντίου συμβάντων πεπειραμένοι τῆς αὐτοῦ ἀρετῆς· vehementer enim ſibi ab eo metuebant, quod virtutem ipſius ſatis antea Conſtantii tempore experti eſſent.* Itaque Ægyptum non auſi fuerunt infeſtare *ἔτι Ἀθανασίου τῷ βίῳ περιόντος, dum Athanaſio vita ſuppeteret.*

7 Prudentia ex latebris ſuis, in quibus deliteſcere cupiunt hæretici, adeòque Eccleſiæ imponere, ac arte venenum ſuum ſpargere, eos elicit; & in apertum producit errores quos animo fovent, & ſic verſutiam ipſorum diſſipat. *Athan. d. ſent. Dion. Alex. & Theod. l. 8.* Ita contigit in Synodo Nicena per prudentiam Patrum Orthodoxorum. His enim cum propoſitum eſſet, tollere impia dogmata Arianorum, nimirũ Filium ex nihilo genitum & creatum eſſe, factum eſſe, tempus fuiſſe quando non erat, & natura eſſe mutabili: ac voces Scripturarum conſenſu omnium approbatas in locum phraſium & dogmatum Arianorum reponere, nempe Filium ex Deo eſſe, natura unigenitum, verbum, potentiam, ſapientiam Patris, Deum verum, ſplendorem gloriæ & characterem perſonæ Patris: ibi tum Euſebius Nicomedienſis, & alii Arii fautores inter ſe coïtione & conſpiratione facta dicebant: aſſentiamur ipſis, acceptemus has voces;

hæ enim non minus cæteris hominibus, quam Chriſto competunt: nam & nos ex Deo ſumus; unus enim Deus, ex quo omnia &c. Tunc Orthodoxi Epiſcopi cognita fraude eorum, plenius explicarunt τὸ ex Deo eſſe; & ſubſtituerunt phraſin, Filium ex Patris eſſentia eſſe. Rurſus interrogati Ariani, anne dicerent Filium non eſſe creaturam, ſed potentiam, ſapientiamque ſolam Patris, & imaginem æternam planeque immutabilem Patris, ac Deum verum: ibi viſi ſunt manifeſtè Ariani nutu ſibi invicem ſignificantes, aſſentiendum his quoque eſſe: nam & hæc in homines cadere. Hos enim etiam in ſcriptura vocari Imaginem, & gloriam Dei, item *δύναμιν*, *potentiam* Dei; imo ſic vocari etiam locuſtas & cicadas in ſcriptura: item, nos proprios eſſe filios Dei, conſtare exinde quod dicimur fratres Chriſti. Quod ſi reliqui, inquiunt Ariani de Epiſcopis Orthodoxis, Deum verum filium vocant, hoc nos etiam admittimus: nam quia verè factus eſt, utique verus eſt. Epiſcopi verſutia earum penitus perſpecta, ex phraſibus ſcripturæ antea commemoratis collegerunt ac ſtatuerunt filium eſſe Patri *ὁμοούσιον*. Ibi tenebantur Ariani conſtricti. Nequaquam enim hanc vocem recipere volebant, ut quæ doctrinæ eorum ſimpliciter contraria eſt, & non patitur perverſas expoſitiones quibus infelices illi

verba

verba Scripturæ detorquebant in propriam ſuam condemnationem. Quare ab Eccleſiæ communione avulſi fuere, ut hac nota omnibus conſpicui facti lupi iſti, gregi Dominico imponere amplius non poſſent.

8 Prudentia ita confundũtur & confutantur ex proprio ſuo ore ſeductores & Hęretici, ut ne hiſcere quidem poſſint, adeoq; ſint *αὐτοκατάκριτοι, à ſe ipſis condemnati*. Vidit hoc Eccleſia ſub Conſtantio in Concilio Cõſtantinopolitano. Nam cum Eudoxius Epiſcopus tum quidem Antiochenus mox Conſtantinopol. ex eorum Arianorum grege qui Aëtium ſequebantur & Filium Patri diſſimilem dicebant, minis Imperatoris perterritus, ſuæ propriæ doctrinæ quam & tunc animo tenebat & poſtea perpetuo retinuit, anathema dixiſſet: & contra urgeret Orthodoxos ut voci *ὁμοουσίῳ*, quæ in ſcriptura nequaquam exſtaret, anathema denunciarent: Silvanus Tarſenſis Epiſcopus prudentiſſimè ictum declinans, & contra id agens ut hæreticum confunderet: imo vero, inquit, hæ voces, ex nihilo, item creatura, item alterius eſſentiæ, quibus vos utimini cum tamen in Scriptura non exſtent, nec ei conſentaneæ ſint, ſunt rejiciendæ & non amplius uſurpandæ. Imperator qui doctrinam Aëtianorum oderat, annuit, & jubet anathema dici illis vocibus. Illi etſi primo contradicerent: tamen

Theod. II. 27.

cum

cum viderent Imperatoris iram, ægre quidem ſed tamen eas condemnarunt. Ac deinceps acrius inſtabant, ut voci ὁμοούσιος anathema Orthodoxi dicerent. At Silvanus, & ad ipſos, & ad Imperatorem inquit: ſi Filius nec ex nihilo, nec creatura, nec ex alia ſubſtantia eſt, igitur ὁμοούσιος eſt Patri, & eandem eſſentiam cum ipſo habet. Quæſo quid prudentius, quid verius dici poterat? Obſtupuit Ariana ſeu Aëtiana factio; & cum quid reponeret non haberet, in clamores inſanos & vociferationes inconditas erumpere adverſus ipſum. Imperator ipſe quoque confuſus, utpote cui perſuaſum erat, ſi ὁμοούσιον tolleretur, pacem in Eccleſia fore: veritati auctoritatem Imperatoriam oppoſuit, & argumenti illius efficaciſſimi vim primo per exilium Silvani, poſt tamen mitius per abdicationem ab Epiſcopatu ipſius ſolvendam ſibi putavit.

9. Prudentia ſeditiones & tumultus evitantur, quando Eccleſia aliqua à ſuperſtitionibus & idololatria repurgatur ac reformatur. Ita ab Attico Conſtantinopolitano factum, qui cum ſuperſtitionem & impietatem quandam abrogare vellet & anſam illius evertere, ne tumultus oriretur, noctu id faciendum potius quam de die duxit; quæ res etiam ei feliciter ceſſit. Nam cum intellexiſſet, Novatianorum eos qui à ceteris ſeceſſionem fecerant ob contro-

Socr. VII. 25.

controverſiam de Paſchate, corpus Sabbatii, qui auctor fuerat ſchiſmatis illius inter ipſos exorti, ex inſula Rhodo in qua mortuus erat tranſtuliſſe, & rurſus ſepeliiſſe, atque ſuper ſepulcro ejus ſacra celebrare & preces concipere ſolere, noctu miſit quoſdam qui Sabbatii cadaver effoſſum in alio ſepulcro conderent. Sectarii cum de more precaturi veniſſent ad locum, & vacuum ſepulcrum invenirent: deſiere in poſterum illud venerari.

10 Prudentia Paſtoris perſecutorum & hoſtium rabiem coërcet, ita ut interdum non ſolum ei, ſed & Eccleſiæ aut rebus ad eam pertinentibus imo toti civitati & Reip. parcant. Ita ſub Iuſtiniano Imperatore cum Choſroës Perſarum Rex Romani Imperii fines incurſionibus ſuis vaſtaret, Ephraimius Antiochiæ Epiſcopus prudẽtia ſua Eccleſiam Antiochenam & ædificia omnia quæ circa eam erant conſervavit. Nam quod ſciret Perſas omnia igni vaſtare: ipſe, ne Eccleſia & circumjacentia ædificia comburerentur à Barbaris, undique eam exornat ſacris monumentis, *ἵνα ταύτῃ λύτρα γένηται*, *ut ea lytri loco eſſent, quo ab hoſtium violentia redimeretur*, prout etiam factum. Ita eodem tempore Thomas Apaméam cujus Epiſcopus erat prudentia ſua conſervavit. Nam antequam Choſroës Apaméam veniret, ipſe eum adiit, quo illius animũ mitigaret,

Evagr. IV 24. 25.

garet, ac civitatem Eccleſiamque ſibi commiſſam conſervaret. Choſroes cum in circo equeſtre certamen ſpectaturus eſſet, & Thomę dixiſſet, ut ſecum eo iret ac ludos ſimul ſpectaret: Thomas etſi id Canonibus Eccleſiaſticis repugnaret, tamen condeſcendit, *παντοίως Χοσρόῃ θεραπεύων τε καὶ ἡμερούμενος, ut Choſrois animum omnibus modis mitigaret & placatum redderet.* Qua in re ait Euagrius eum *σοφῶς, ſapienter* feciſſe. Ego ut de ea re contendere nolim cum quopiam, ſapienterne fecerit Canonem Eccleſiaſticum violando & ludos ſpectando, an potius venia vir tantus opus habeat: tamen in eo prudenter egiſſe illum manifeſtum eſt, quod antevertere Tyranni adventum voluerit, & animum ejus mitigare conatus fuerit. Quin etiam aliud prudenter ab eo factum tunc eſt. Nam cum eum Choſroës interrogaret, an'ne expeteret ipſum in urbe ſua, Apamea ſcilicet, videre: ipſe, qui ſciebat prudentiæ partem eſſe etiam apud ferociſſimos homines veritatem cum magnanimitate & modeſtia dicere, reſpondit, *ὡς οὐχ ἥδιστα τὸν Χοσρόην ὁρῴη κατὰ τὴν οἰκείαν πόλιν, ſe nequaquam cupere Choſroem in ſua urbe videre.* Tyrannus miratus reſponſum, hominem veritatis cauſa reverentia ſimul & favore complexus eſt: ac Apameenſibus ſalutem pacis conditionibus initis promiſit. Similiter prudentia ſua Anatolius

tolius Alexandrinus, & Euſebius poſtea Laodicenſis Epiſcopus, Eccleſiam Alexandrinam *Euſeb.* & cum ea civitatis illius magnæ partem à Ro- *VII. 26.* manis ſub Diocletiano obſeſſam, ac multa *λβ'.* millia hominum ne fame ac gladio perirent, conſervarunt: quod exemplum infra plenius commemorabimus, ubi oſtendemus quantum unius viri pietas ac Religio interdum toti Reipub. proſit. Atque hi quidem fructus ex prudentia Eccleſiaſtica ad Eccleſiam Orthodoxam & Rempublicam redundant.

11 Præter hos fructus etiam alii ſunt, qui ad eum ipſum immediate redeunt qui prudentia ea præditus eſt, adeoque per ipſum & ſic mediate ad Eccleſiam, cui vel in officio Magiſtratus vel docendi munere inſervit, vel cujus in quocunque ſtatu membrum eſt. Prudentia igitur præſervat fideles quominus ſeſe, tempore præſertim perſecutionis, ritibus idololatricis & impiis polluant, adeoque à vera Religione deficiant. Ita ſub Iuliano Impera- *Theod.* tore fideles multi, cum alii imprudentiores *III. 15.* arte Iuliani, quam ſupra commemoravi, decepti, thuriſque oblatione fidei profeſſionem abjeciſſent; rem bene apud ſe expenderunt, & probè conſiderarunt, quæ inſidiæ ſub ea ceremonia laterent. Quare carere illi auro Iuliani maluerunt, quam thuris granum aræ injicere, & rem ſancta ſua profeſſione indi-

gnam

gnam committere. Prudenter hactenus & benè. Quod autem in eum finem, hoc eſt, ut abeſſe & ſic retia illius effugere poſſent, *νόσον ἐσκήψαντο, morbum ſimularunt*, ait Theodoritus, id ſuo loco relinquo. Conſtat enim mendacium omne *ἀνομίαν* adeoque peccatum eſſe, quod per conſequens imitandum non eſt. Interim non eſt dubium quin eis Dominus pro ſua miſericordia illud peccatum ignoverit: unde etiam ulteriori tentationi eos non expoſuit; ſed effecit, ut qui cum laude prudentiæ artem Tyranni cognoviſſent, & cum peccato mendacii morbum finxiſſent, *τὴν χαλεπὴν ἐκείνην διέφυγον θήραν, effugerent periculoſiſſima iſta retia quæ ipſis à Iuliano parata erant.*

12 Prudentia Paſtori & Doctori Eccleſiæ, non ſolum apud populum, ſed etiam apud Magiſtratum ſeu Principem Orthodoxum, imo etiam heterodoxum & hoſtem auctoritatem conciliat: qua ratione fit, ut ejus miniſterium eo fructuoſius & utilius ſit apud omnes, atque illius dicta habeantur pro oraculis aut juſſis authenticis, & ipſe experiatur id quod Spiritus ſanctus dicit: *Verba ſapientum*
Eccl. ſ. *ſunt velut ſtimuli.* Vidit hoc vetus Eccleſia in
12.13. Attico, Athanaſio, Gregorio Theopolitano, Epiſcopis prudentiſſimis. Atticus enim tan-
Socr. VII. tam auctoritatem ea ſibi comparaverat, ut
26. quæ dicta proferret, etiam extra res ſacras in uſum

ſum communem abirent. Sic verbi gratia, ſi forte loco alicui aliud quam ſolitum nomen in colloquio familiari daret, id ſtatim apud omnes obtinebat. Ita ſtationem navium quæ in oſtio Ponti Euxini ſita eſt, vetere nomine φαρμακέα, *veneficam* appellatam, ille θεραπείαν, *medicinam* ſeu curationem vocavit: dicebat enim illud inviſum nomen eſſe, & conventibus ſacris ibi celebrandis parum conveniens. Sic cum è regione ſtationis veteris, quæ Chryſopolis ſeu aurea urbs appellabatur, eſſet ſuburbium Conſtantinopolitanum cui δεκατευτήριον nomen erat, quod ibi decimæ exigerentur, ipſe æquum eſſe dicebat, ut id ſuburbium, quia & argenti copiam Reip. ſuppeditaret, & ſitum eſſet è regione loci, qui tum ſplendido nomine inſignis eſſet, Ἀργυρόπολις, *argentea urbs* appellaretur. καὶ ῥηθεὶς ὁ λόγος εὐθὺς τὴν ἐπωνυμίαν ἐκράτυνεν, *quod verbum ſimul atque protulerat, ſtatim apud omnes pervaſit, & locus nomen illud obtinuit.* Socr. ib. c. 28. Hinc etiam ejus perſonæ hanc prærogativam & honorem detulit Eccleſia Cyzicena ut abſque ejus ſententia Epiſcopum non poſſet eligere. quem honorem cum ſibi velut jure debitum ſucceſſor ipſius poſtulaſſet, & Epiſcopum Proclum Cyzicenis dediſſet: ipſi eum repudiarunt ὡς Ἀττικῷ μόνῳ εἰς πρόσωπον παρασχεθέντος, *quod Attico ſoli eum honorem perſonaliter detuliſſent.*

Athanaſius vero prudentia ſua omnes homines ita in admirationem ſui traduxit, ut hoſtes quidem veritatis divinæ, Gentiles ſcilicet & Ariani, eum Magicarum præſtigiarum malitioſe & diabolice inſimularent: Orthodoxi autem multi eum prophetiæ dono præditum, & ſupernaturali divinoque inſtinctu & monitu quæ agebat perficere putarent. Nam quia prudentia ſua ut mox intelligemus ſæpiſſime graviſſima pericula effugerat, διεβάλλετο περὶ τῶν ἑλλήνων καὶ ἑτεροδόξων ὡς γοητείαις ταῦτα κατορθῶν, *calumnioſe inſimulabatur à Gentilibus & Arianis ac ſi præſtigiis ea conficeret*, ait Sozomenus. Ea opinio confirmata fuit apud hoſtes ex eo, quod cum aliquando per plateas civitatis ambularet, forte corvus verſus eum volitans crocitaret. Ibi Gentiles caſu aſtantes, ſcommatis ipſum ut præſtigiatorem petere, ac rogare, ecquidnam corvus dixiſſet. Ille leniter ſubridens ait eum *Cras* Latino ſermone dixiſſe. Nam denuntiat vobis craſtinum diem peracerbum vobis fore. Etenim cras mandatum Imperatoris accipietis, quo vobis edicetur ne veſtrum diem feſtum proxime inſequentem celebrare poſſitis. Dictum factum. Etenim ſequenti die literæ Imperatoris Magiſtratibus allatæ fuerunt, quibus jubebantur ne Gentilibus permitterent amplius idololatriæ ſuæ exercitium. Inde Gentiles & Ariani novam ſum-

Sozom. IV. 9.

ſumſere anſam confirmandi calumniam & maledicentiam ſuam adverſus ſanctum virum. At apud Orthodoxos id magis confirmavit opinionem doni Prophetiæ quo eum præditum credebant: prout ex Sozomeno patet: *ὡς μὲν οὖν*, inquit, *προφητικὸς ἀνὴρ ἐγένετο, ταῦτα ἀπόχρη εἰπεῖν*, *quod igitur dono prophetiæ præditus vir ille fuerit, hæc dixiſſe ſufficiat*. Quod ſolidè à Sozomeno judicari fortaſſis non judicabunt illi qui norunt Epiſcopum ſummæ auctoritatis apud Magiſtratum Orthodoxum Alexandrinum fuiſſe, & hunc Magiſtratum ab Imperatore Chriſtiano facile conſequi potuiſſe ut Gentilibus inhiberetur idololatria eorum, adeoque Athanaſium præſcire id potuiſſe ſua quã à Deo acceperat prudẽtia ſine prophetia.

Ob hanc prudentiam in pretio habitus à Ioviniano Imperatore Orthodoxo fuit, cui cum ſemel tantum ſanctus ille vir verba feciſſet, congreſſus ille Athanaſium chariſſimum reddiderat; ita ut non ſolum pietate & doctrina ejus, ſed & prudentia confiſus jubeat, ut Ægypti Eccleſias & plebes gubernaret *ᾗ ἄριστα αὐτῷ δοκέῃ*, *quo ſibi luberet modo*. Ac poſtea laudavit eum plurimum ad alios *ἀρετῆς βίου τε ἕνεκα καὶ φρονήσεως καὶ λόγων*, *ob virtutem, pietatem, prudentiam & eruditionem*. Quod magis eſt, ante Iovinianum Conſtantius ipſe, qui tamen acerrimus & juratus erat hoſtis Athanaſii, ob pru-

dentiam ipſum admiratus eſt. Cum enim aliquando Athanaſius Arianorum aſtutiam, qui ſibi ſaltem unum concedi templum Alexandriæ ab Athanaſio per ipſum Imperatorem poſtulaſſent, cum quo tunc ſanctus ille vir colloquebatur, prudentiſſimo conſilio & reſponſo irritam feciſſet, *Imperator admiratus ejus prudentiam*, ait Ruffinus, *properare ocius ad ſuſcipiendam Eccleſiam* (ex qua ejectus erat) *jubet.* Sic Gregorius Antiochenus ob prudentiam non ſolum admirationi Romanorum Imperatoribus, ſed etiam Perſarum Regibus vicinis fuit. Vidimus paulo ante quam laudem prudentiæ ipſi Euagrius tribuat, qui ſubjungit: *καὶ ἐξέπληξε δὲ οὐ μόνον τοὺς Ῥωμαίων βασιλέας, ἀλλὰ καὶ τοὺς Περσῶν*, *obſtupefecit*, ſeu in *admirationem*
Ruffin. l. 19. *ſui deduxit non ſolum Romanorum Imperatores, ſed etiam Perſarum Reges.* Cauſam addit; *quod noſſet erga eos ſe gerere, prout tum neceſſitas poſtulabat, tum occaſio ferebat.*

13. Prudentia illius qui in Eccleſia docendi partes habet, diluit calumnias etiam vaferrimas, quibus hoc vitæ genus obnoxiũ eſſe ſolet, præcipue tum ubi ſervus Dei Hæreticorum & Novatorum doctrinæ, artibus ac conſiliis ſtrenue ſeſe atq; ex officio oppoſuit. Magnus ille idẽ Athanaſius Arianis ſpina in oculo erat. Videbant enim hæreſin ſuam nunquam prævalituram (iam enim in Synodo Nicena

ipſis

ipſis ſe fortiter oppoſuerat) quam diu Athanaſius in Epiſcopatu Alexādrino, imo in vita ſubſiſteret. Itaque conſilium de eo perdendo capiunt. In hunc finem vivente etiamnum Conſtantino Magno ipſum variis calumniis. & atrociſſimis petunt. Vnde Synodus Tyrum convocatur. In ea producitur primo muliercula petulans & proſtituti pudoris, quæ eum accuſat violatæ virginitatis ab ipſo quem hoſpitio accepiſſet. Cum hanc querimoniam in Synodo depoſuiſſet, ingreditur Athanaſius, & cum eo Timotheus quidam presbyter vir egregius: Cum eo convenerat Athanaſio rem hoc modo, quem jam dicemus, gerere, & infamem calumniam illam diluere. Iubent judices ut Athanaſius accuſationi reſpondeat; *Sozom. II 24.* ipſe tacet, quaſi Athanaſius non eſſet: Timotheus vero mulierculam ſic alloquitur: Egone *Theod. I. 3c.* tecum aliquando rem habui? egone in *Socrat, II. 21.* tuas ædes ingreſſus ſum? Tum illa impuden- *κϑ΄. λ΄.* tius (ait Theodoritus) petulantiuſq; clamare, digladiari cum Timotheo, manū proferre, & indice digito eum demonſtrare ac dicere ad Timotheū: tu me virginitate ſpoliaſti mea, tu me caſtitate nudaſti, & alia ſimilia quæ dicere cōſuevere mulierculæ quæ pudori ſuo nuncium miſere. Hac prudentia calumnia palam triumphata fuit à victore prudentiſſimo Athanaſio. Sed, ut rabies immenſa erat, qua

ſpumabant execrandi hoſtes veritatis contra aſſertorem ipſius, profertur alia accuſatio, qua intentatur ei homicidium ſimul & Magia. Nam inſimulabant eum quod Arſeniũ quendam occidiſſet, occiſo brachium præſcidiſſet in Magicarum artium uſum. In eum finem accuſatores ipſius dextram à cadavere quodam reſciſſam, aromatis conditam in capſa reponunt, ac undique circumferunt, manum eſſe dicentes Arſenii ab Athanaſio occiſi. Magnus ille ſervus Dei, prudentia & vigilantia conſueta uſus cum amicis, id effecit ut reſciſcerent Arſenium, quem nebulones illi abſcondiderant, vivum latitare in Thebaide. Efficit Athanaſius amicorum opera uſus, ut Arſenius in diverſorio aliquantulum lateret. Cum igitur in Concilio objectum ei crimen occiſi Arſenii à ſceleratiſſima factione fuiſſet, & in eum finem, capſa oſtenſa ac manus prolata fuiſſet: omnes qui Concilio inerant exclamare, alii ob admiſſum ſcelus puniendum Athanaſium eſſe, alii eum nova calumnia gravari. Silentio tandem facto Athanaſius judices interrogat: ecquis ex ipſis Arſenium noſſet? Reſponſum eſt à multis ſe eum probè noviſſe. Iubet Athanaſius introduci hominem, atque inquit: ecce igitur Arſenium à me interfectum & poſt cædem manu mutilatum. & detracto pallio illius a utraque manu oſtenſa hominis,

ait;

ait: Tertiam manum nemo, opinor, quæret, nam à Deo nemo plures quam duas accepit. Ita & hanc calumniam prudentia ſua diluit. Annon debebant tunc execrandi illi calumniatores præ pudore ſeſe in latebras abſcondere, ut bene Theodoritus ait, *καὶ εὔχεσθαι χάναι σφίσι τὴν γῆν, & optare ut terra ſibi dehiſceret?*

14. Prudentia facit, ut qui negocium Religionis tractat, atque ideo ob fidelitatem quam Deo in ea aſſerenda debet, in vitæ pericula incidit, ſe Eccleſiæ conſervet, vitamque è præſentiſſimo periculo eripiat, ubi ei ab adverſariis & perſecutoribus inſidię ſtructę ſunt. Ita idē Magnus vir, cū crebris inſidiis vita ejus peteretur, ipſe pręceptum Chriſti ſequutus aut fuga ſe ſubduxit, aut ſingulari piaque dexteritate alia ſeſe conſervavit, duce prudentia per Dei gratiā ſub ipſius aura, ac providētia uſus. Hanc ejus prudentiam indicat alicubi Sozom. *ταῦτα λογιζόμενος Ἀθανάσιος περιδεὴς ἦν· ἅμα δὲ ὑφωρᾶτο, μὴ καιρὸν εὑρόντες οἱ ἐπιβουλεύοντες λάθρα ἀνέλωσιν αὐτόν. Hæc animo,* inquit, *reputans Athanaſius valde ſibi metuebat, & ſuſpicabatur ne ſe occaſionem nacti inſidiatores è medio tollerent.* Sed ex pluribus hunc inſignem actum prudentię, quo ſe præſentiſſimo periculo eripuit commemorare ſufficiet. Sozom. II 24.

Iulianus Apoſtata mandatum dederat, quo juſſerat Athanaſium occidi: ille nuncio hoc

accepto: Secedamus, inquit amicis, ad tempus: nubecula eſt quæ cito evaneſcet. Ac conſcenſa navi Alexandriâ diſcedit, & fuga ſalutem quærit. Hoſtes qui ut eum comprehenderent ac occidere juſſi erant, à tergo ipſum protinus inſequi: quos cum non longe à ſe abeſſe vidiſſent qui Athanaſio comites fugæ erant, hortantur eum ut in ſolitudinem fuge-

Socr. III. 12. 18. ret. ὁ δὲ σοφῇ γνώμῃ χρησάμενος, *prudenti con-*

Theod. III 8. *ſilio uſus*, ait Socrates, jubet ut retro curſum le-

Sozom. IV 9. gant atq; obviam perſequentibus eant. *Nolite,* inquit, *terreri filioli, eamus magis in occurſum* (ſunt verba Ruffini) *percuſſori noſtro, ut ſciat quia longè*

Ruf. I. 34 *major eſt qui nos defendit, quam qui perſequitur.* Dictum factum. Cum igitur propinqui jam eſſent perſequentibus, ſciſcitantur hi, num Athanaſium vidiſſent? Illi reſpondent eum non longe abeſſe, & modo properent, breviter apud ipſum futuros. Hoc reſponſo accepto perſequentes, quantum poſſunt properant in anteriora, ut eum aſſequantur. At ipſe interim Alexandriam redit: ea ratione prudenti quoque inductus, quod ibi, ut Sozomenus ait, ὡς ἐν ὁμίλῳ καὶ πλήθει οἰκημάτων ἀσφαλέστερον, *ob populi frequentiam & adium multitudinem tutius latere poſſet.* Atque ibi quidem ad mortem uſque Iuliani imo reliquum vitæ ſuæ manſit.

Theodorus Lect. Syn. li. Simili prudentia uſus Macedonius Orthodoxus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſub

Anaſta-

Anaſtaſio Imperatore vitam inſidiis eripuit. Contra hunc Eucholium quendam ſubornarant inimici , ut gladio illum impeteret, & è medio tolleret. Macedonius quod hominem ſeu egenum ſeu avarum eſſe noſſet , munera Eucholio dari præcepit, & periculum evaſit.

Referrem huc etiã Theophili Alexandrini factum, nî homo ille ſagacitate quam Deus ei conceſſerat ad verſutiam potius quam prudentiam & ad affectus ſuos explendos potius quã ad Eccleſiæ & bonorum utilitatem contuliſſet. Is cum Anthropomorphitarum errori aſſentiri nollet, à Monachis hæreſi illi addictis petitur, qui maximo numero collecti Alexandriam ingrediuntur, poſtquam primo in cædẽ illius conſpiraſſent. Itaq; ſeditione mota, ait Sozomenus, *ὡς ἀσεβοῦντα τὸν Θεόφιλον ἀνελεῖν ἐβουλεύοντο, Theophilum tanquam impium occidere ſtatuunt.* Ille ad tumultuantes prodiens, ſuaviter eos ſalutat ac blandiſſime : *perinde,* inquit, *vos aſpexi, ac ſi faciem Dei vidiſſem.* Τόδε ῥηθὲν ἱκανῶς ἐφύλαξε τοὺς ἄνδρας καὶ τῆς ὀργῆς καθυφέντας, *hoc dicto Monachos abunde compeſcuit, adeo ut iram ponerent* fraterculi iſti ſicarii. Sed ut dixi verſutia hæc potius quam prudentia fuit Theophili, ut ex inſigni mendacio iſto patet quod dixit, Videri ſibi ſe Dei faciem videre, cum certum ſit potius viſum ipſi fuiſſe ſe Diabolum, quod ajunt, videre, dum illos furentes — *Sozom. VIII. 11.*

& ad Diaboli opus, homicidium ſcilicet, paratos conſpiceret.

15. Prudentia efficit, ut qui Eccleſiæ regundæ præeſt ſub Principe Orthodoxo ac pacis tempore; Eccleſiam ſibi commiſſam per vitæ ſuæ tempus teneat ac regat; dum alius qui æque prudenter non agit, eodem tempore ac rerum ſtatu facile loco ſuo excidit, & in graves calamitates incidit. Chryſoſtomus Attico ſuperior quidem erat aliis maximis donis, ſed inferior prudentia & iræ moderatione, ut de eo antiquitas judicat: hinc ſub Principibus Orthodoxis & piis in graviſſimas calamitates magno cum Eccleſiæ malo incidit: at Atticus ſecundus ab eo quiete per viginti annos Epiſcopatum ſumma cum Eccleſiæ utilitate adminiſtravit, & in eo diem obiit; cui defuncto ad ſummum honoris teſtimonium nihil defuit, quam quod Imperator Theodoſius funeri ejus intereſſe non potuit, quod uno die tardius Theſſalonicâ Conſtantinopolin rediiſſet.

Socr. VII. 25.

16. Denique prudentia efficit, ut qui Eccleſiæ res adminiſtrat ac gubernat & negocium Religionis tractat, pericula quæ ſibi impendent mature prævideat, & quæ poſſunt evitari declinet; quæ autem evitari non poſſunt, ad ea ſubeunda tempeſtive animo magno, imperterrito atque invicto ſeſe præparet:

quo

quo fit ut tela, quod dicunt, prævíſa minus ei nocere poſſint, ac mente tranquilla in quocunque ſtatu ſit. Ita à Liberio Romano Epiſcopo factum, qui cùm ad Conſtantium evocatus fuiſſet Conſtantinopolin Religionis cauſa, facile prævidit quid & à ſe Imperator petiturus eſſet, & quid ſibi per conſequens faciendum ac patiendum eſſet. Certus igitur ſe Imperatori poſtulaturo aſſentiri non poſſe, adeoque ſibi exilium ſubeundum & deſerendam Romanam Eccleſiam civitatéque; antequam abiret, gregi ſuo valedixit. Itaque cum Conſtantinopolin veniſſet, & Imperator ipſi inter alia multa diceret, eum non aliter Romam reverſurum quam ſi cum Arianis communicet, & iis ſubſcribat: reſpondet Liberius, ἤδη τοῖς ἀδελφοῖς τοῖς ἐν τῇ ῥώμῃ ἀπεταξάμην· μείζους γὰρ εἰσὶν οἱ ἐκκλησιαστικοὶ θεσμοὶ τῆς ἐν τῇ ῥώμῃ διατριβῆς. *Ego jam fratribus qui Romæ ſunt valedixi. Præſtat enim decreta Eccleſiæ verbo Dei conſentanea cuſtodire, quam Romæ habitare.* Tum Conſtantius rurſus: *Trium dierum ſpatium tibi concedimus ad deliberandum, utrum ſubſcribere volueris, & ita Romam redire; aut elige quo in loco exulare velis.* At Liberius: *Spatium trium dierum aut menſium non mutat propoſitum: quarè mitte me in quem locum ipſe volueris.* Id quod etiam factum. Atque hæ ſunt præcipuæ utilitates prudentiæ Eccleſiaſticæ, ad quas reliquæ, quæ alicui in

Theod. II. 16.

mentem

mentem venire poſſunt, facile revocantur.

17. Ex his omnibus manifeſtum eſt, præſtare prudentiam cum mediocri eruditione, quam ſummam eruditionem abſque prudentia habere. Nam ex prudentia cum mediocri eruditione plurimum commodi ad Eccleſiam adeoque etiam ad Remp. & ipſum eum qui Eccleſiæ præeſt vel qualecunque illius membrum eſt, redibit, quemadmodum contra eruditio ſumma quæ cum imprudentia eſt conjuncta plurimum detrimenti Eccleſiæ, Reip., ipſique homini affert. Atticus, cujus aliquoties jã mentionem fecimus, μετὰ τοῦ
Socr. VI. 18. μετρίως πεπαιδεῦσθαι πλέον φυσικῶς φρόνιμος ἦν, *erat quidẽ mediocriter ſaltem doctus, ſed prudentia naturaliter inſita excellebat*, ait Socrates. At ex illius mediocri eruditione, & inſigni prudentia, plurimum boni ad Eccleſiam ipſius temporis redundavit, cum contra ex aliorum virorum doctiſſimorum & eloquentiſſimorum imprudentia plurimum detrimenti ad Eccleſiam, Remp., ipſoſque redierit. Ex quorum imprudentia, experiẽtia & malo nos, qui poſt eos vivimus, hoc utilitatis petere debemus, ut prudenter verſari in tanto negocio diſcamus.

CAPUT III.

De priore parte prudentiæ Eccleſiaſticæ, quæ immediatè circa DEUM ſeu veram Religionem verſatur, nimirum zelo veritatis divinæ.

1 Prima pars prudentiæ Eccleſiaſticæ quæ ſit? 2 Zelus Religionis ὁμωνύμως ſic dictus, ut Pſathyrianorum hæreticorum. 3 Zeli vere ſic dicti ſpecies duæ. 4 Zelum veritatis divinæ eſſe partem prudentiæ Eccleſiaſticæ oſtenditur. Zelus quid in conſervanda & propaganda vera Religione poſſit? Zelus Ignatii Antiocheni, Baſilii Magni, Martyrum Perſarum, Martyrum Thebaidos, omnium denique rurſus. 5 Zelus verus quid adverſum tentationes poſſit? Inſignis ſententia Theodoriti in illud. Baſilii in eam rem apophthegma. 6 Zelus veritatis divinæ quantum erga perſecutores poſſit, in ſiſtenda aut impedienda ſævitia perſecutorum, oſtenditur experientia Edeſſenæ Eccleſiæ, confeſſione Iuliani Apoſtatæ, & facto Genſerici Vandalorum Regis. 7 Corollaria duo: & primo quidem, zelus quid ab omnibus Orthodoxis requirat? Ignotorum Martyrum zelus apud Theodoritum. Lacrymæ Iuventini & Maximiani pro veritate. Conſtantia in confeſſione veritatis ex Scriptura & antiquitate. Symeonæ Martyris Perſæ de ea re aurea ſententia. De morte potius obeunda quam vel unica ſyllaba veritatis divinæ ab-

næ abneganda Baſilii M. apophthegma. Zelus circa Ceremonias idololatricas fugiendas, exemplo Valentiniani nondum Imperatoris. 8 *Alterum Corollarium; quid judicandum & ſpei concipiendum ſit de talibus locis, in quibus zelus veritatis divinæ non eſt.*

1 NVnc accedamus ad conſiderandas partes prudentiæ Eccleſiaſticæ, ſive Eccleſiæ veteris. Princeps igitur & nobiliſſima prudentiæ per quam vera Religio conſervatur & propagatur, pars, eſt ea quæ immediatè circa Deum verſatur, veramque Religionem. De hac in præſenti volumine agere nobis propoſitum eſſe diximus: quam quidem triplici modo conſiderabimus. Primo quatenus omnibus hominibus, cujuſcunque conditionis, ſtatus, dignitatis, ſexus illi ſunt competit. Secundo eam expendemus prout ſpeciatim Principi ſeu Magiſtratui competit. Tertio prout iis qui Eccleſiam Dei docent convenit.

Conſiſtit autem ea princeps & nobiliſſima pars in *vero zelo veræ Religionis*. Scio contradiſtingui vulgo prudentiam zelo, dum docetur zelum prudentia temperatum eſſe debere. Quod recte intellectum veriſſimum eſt, prout capite ſequenti patebit. Interim ſi rem ipſam probe ſpectes, deprehendes zelum ipſum palmarium membrum prudentiæ Eccleſiaſticæ eſſe.

cæ eſſe. Quod ideo oſtendendum mihi eſt, quia ex iſta recepta contradiſtinctione zeli & prudentiæ (quam, ut dixi, recte intellectam non improbo) profanitas, impietas, ignavia & perfidia hominum occaſionem ſumit ſeparandi zelum à prudentia in negocio Religionis, & ſcelera ſua iſto prætextu tegendi, quòd zelus prudentia ſit corrigendus. At potius corrigendus eſt morbus ille fere, proh dolor, communis; ſciendumque, eos qui prudenter in negocio Religionis verſari cupiunt, qui eam conſervatam ac propagatam deſiderant, zelum omnino verum veræ Religionis operi ei adhibere debere, & abſque zelo prudentiam veram nequaquam eſſe poſſe, imò ſine eo imprudentiſſimè omnia geri.

2 Zelum veræ Religionis dico. Eſt enim alius quoque zelus ὁμωνύμως ſic dictus, qui non veræ Religionis, ſed falſitatis, impietatis, erroris eſt. Qualis eſt zelus Iudæorum qui *zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*. Qualis & viri illius zelus fuit, qui nomen dedit Pſathyrianis, qui ſectæ Arianæ pars erant. Appellabãtur enim iſti Pſathyriani quod Theoctiſtus quidam Pſathyropola, hoc eſt, *placentarum venditor*, natione Syrus, διαπύρως τῷ λόγῳ τῷδε συνίστατο, ut Socrates de eo loquitur, hoc eſt, *igneo zelo iſti opinioni adhærebat*.

Rom. 10. 2.

Socr. V. 22. xγ.

3 Porro zelus veræ Religionis hæc duo cõplectitur:

plectitur: amorem nimirum ſerium ac flagrã-tem veritatis divinæ ſeu verę cognitionis Dei, quæ preſſe vera Religio etiam vocatur: deinde vitæ morumque internam & externam ſanctitatem. Hæc duo ubi ſimul juncta non ſunt, zelus verus eſſe non poteſt. Illa pars abſq; hac non niſi larva; hæc abſque illa non niſi ſimulacrum eſt & inanis ſpecies. Vtramq; partem uno præcepto comprehendit Apoſtolus,
Rom. 12. 11. quando jubet ut ſimus τῷ πνεύματι ζέοντες, *Spiritu ferventes.*

Agamus prius de zelo veritatis divinę. Is nihil aliud eſt, quam affectus ſummus quo verã doctrinam æſtimamus, pro viribus conſervamus, defendimus, propagamus, ei firmiter cõſtanterque adhæremus; prę ea omnia quæ nobis in hoc mundo chara eſſe poſſunt, vitamq; adeo ipſam pro nihilo ducimus: contra vero falſam Religionem, hæreſes, errores averſamur & iis pro viribus ſecundum verbum Dei reſiſtimus.

4 Eſſe zelum hunc partem prudentiæ Eccleſiaſticæ, ex his tribus manifeſtum eſt. *Primo* enim abſque zelo Religio vera conſervari & propagari nequaquam poteſt. Quid enim hodie de ea foret, quo in loco ea eſſet; abſque zelo fuiſſet qui prophetas, qui Apoſtolos, qui Chriſtum maxime totum tenuit, qui de ſe ipſo dicit: *zelus domus tuæ exedit me*? Quo in loco
Joh. 7. 17.
ea fo-

ea foret hodie abſque zelo vero Regum, Imperatorum, principum fidelium, & Orthodoxorum Doctorum veteris Eccleſiæ, qui ſe falſæ Religioni pro veritate divina fortiſſime oppoſuerunt? ubi quærenda, ubi invenienda eſſet ea hodie abſque zelo totius nubis illius teſtium cujuſcunque ætatis, ſexus, conditionis in vetere Eccleſia, *qui multo avidius tunc martyria glorioſis mortibus quærebant, quam nunc Epiſcopatus pravis ambitionibus appetuntur*, ut Sulpitius ait. Sever. Sulpit. lib. 2. Quid, inquam, foret Religio abſque eo zelo, quo impulſi martyrium fervide optabant perſecutionis tempore? ὀναίμην τῶν θηρίων, ait ille ignei Martyr zeli S. Ignatius Antiochenus, τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων, *utinam fruar beſtiis quæ mihi paratæ ſunt, quas opto veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demulcebo ut protinus me devorent, non ut quoſdam metuentes non attigerunt: & ſi ſponte nolint, ego illas vi adigam &c. Ignes, crux, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, & Diaboli tormenta in me veniant, modo Ieſum Chriſtum nanciſcar. Nil me juvabunt fines mundi, nec regna hujus ſeculi. Melius eſt mihi mori propter Chriſtum, quam imperare finibus terræ.* En extraordinarium & admirandum zelum Martyris hujus, qui non temere, ſed vocatus à Deo & jam ductus ad locum Martyrii hæc verba protulit: abſque qua vocatione fuiſſet, in ſextum præceptum Decalogi pec-

caviſſet. Verum quia vocatus, ut dixi, ad certamen jam erat, non magis peccavit quam alii plurimi imo infiniti Martyres veteris Eccleſiæ, in qua novum non fuit Martyrium optare, quærere, ad illud etiam abſque externa vocatione accurrere: Domino internè tantum ipſos vocante & extraordinarios hos motus in iis ſub prædicationis Euangelii prima tempora exerente, quo iſta ratione animos hominum magis captivos duceret ſub obſequiũ Chriſti & ad fidem Chriſtianam amplectendam alliceret, prout mox ex Eccleſiæ experiẽtia Sozomenus teſtabitur. Hinc Cyprianus ait Chriſtianorum eſſe *prompte animas & ſanguinem tradere, ut cum tãta in ſeculo malitia graſſetur, à malis & ſævis velocius recedatur.* Vbi etiã teſtatur fideles ſui tẽporis properaſſe & *accurriſſe* ad Martyria.

Cyprian. lib. I. Epiſt. I.

Et S. Baſilius cum præfectus ei ſub Valente mortem minaretur, ni ab Orthodoxâ doctrinâ de Deitate Chriſti ad Arianã deficeret: εἴθε γένοιτο μοι διὰ τὴν ἀλήθειαν ἀπαλλαγῆναι τῶν δεσμῶν τοῦ σώματος, *utinam*, inquit, *hoc mihi eveniat ut propter veritatem vinculis corporis hujus exſolvar.* Et cum iterum atque iterum præſes moneret, ut rem ſecum accurate expenderet, fertur reſpondiſſe Baſilius: Ego quidem hodie & cras idem ſum, ὄφελον σὺ ἑαυτὸν μὴ ἐνήλλαττες, *ſed utinam tu ſententiam non mutares*; ſeu ut Theodoritus ea verba exprimit: σὺ δὲ μὴ μεταβάλῃς τὴν γνώ-

Socr. IV. 21. κέ.

Theod. IV. 17.

γνώμην, ἀλλὰ χρῆσαι ταῖς ἀπειλαῖς, *tu vero noli mutare ſententiam, ſed exequere minas tuas.*

Hinc Perſæ fideles accurrerunt ad ſupplicia ſub Iſdigerde Rege; tum cum carnifices omnis generis horrenda tormenta & nova excogitarent, quibus Chriſtianorum fortitudinem & conſtantiam retunderent: αὐτόματον ἔτρεχον, ait de iis Theodoritus, τὸν τῆς ἀνωλέθρου ζωῆς πρόξενον λαβεῖν ἱμειρόμενοι θάνατον, *ſua ſponte accurrebant magno deſiderio mortem appetentes, per quam aditus ad æternam vitam fit.* Hinc factum ut Martyres in Thebaide ſub Diocletiano, dum Iudex in foro ſententiam mortis contra captivos Chriſtianos dicens, alios igni, alios ſecuri addiceret tanto numero ut (cujus rei ipſe Euſebius ſpectator fuit) ſecuris ipſa feriendo obtunderetur, & carnifices trucidando defatigati mutuis operis traditis ſe ſuccedaneè ſublevarent; illi, inquam, qui nondum captivi erant, ſimul atque ſententia contra priores pronunciata eſſet, ἐπεπήδων ἄλλοθεν ἄλλοι τῷ περὶ τοῦ δικαστοῦ βήματι, *alii aliunde ad tribunal judicis proſilirent, ſeſeque Chriſtianos profiterentur, acerbitates & modos multiplicium tormentorum* (reddo verba Euſebii) *pro nihilo putarent, abſque metu & terrore libère pro Religione & cultu Dei omnium rerum moderatoris loquerentur.* Hinc iidem μετὰ χαρᾶς καὶ γέ-

Theod. l. 5. 38.

Euſeb. lib. 7. c. 9.

γέλωτος καὶ εὐφροσύνης, *cum lætitiâ, riſu & hilaritate mortis ſententiam acceptabant*, ὥστε ψάλλειν καὶ ὕμνους καὶ εὐχαριστίας εἰς τὸν τῶν ὅλων θεὸν μέχρις αὐτῆς ἐσχάτης ἀναπέμπειν πνοῆς, *adeo ut Pſalmos, hymnos, & gratiarum actiones ad Deum uſque ad extremum ſpiritum emitterent.* In ſumma excipiebant tormenta, ὡς ἐν ἀλλοτρίοις σώμασι, *tanquam in alienis corporibus*, ut Sozomenus ait. Hoc zelo factum ut vera Religio admirabiles progreſſus faceret. *Nam*, ut de ea re idem loquitur, *etſi fideles linguam diſertam & ad eleganter loquendum exercitatam non haberent, neque verborum concinnitate uſi fuerint; non tamen propterea Religio eorum minus progreſſuum habuit. Etenim abjiciendo opes, ſua bona contemnendo, patibuli cruciatum ſubeundo, multa & acerba tormenta velut in alienis corporibus fortiter tolerando, & neque blanditiis plebis aut Magiſtratuum obſequendo, neque minas eorum extimeſcendo, planum omnibus fecerunt, ſe ejuſmodi certamina ampliſſimorum præmiorum ſpe inductos obiiſſe*: ὥστε οὐδὲ πειθοῦς ἔδει λόγων, αὐτόματον τῶν πραγμάτων καὶ οἴκους καὶ πόλεις πιστεύειν βιαζομένων, ἃ μὴ πρότερον ἀκηκόασι· *itaque eloquentia opus non erat qua infideles de veritate Religionis Chriſtianæ perſuaderentur, cum res ipſa ſine ullo negocio familias & urbes cogeret ea credere, quæ antea non audiverant.*

Soz. l. 1. c. 1.

Intellexit hoc probe Iulianus Apoſtata, nimi-

nimirum zelo illo Chriſtianorum quem tem- *Idem lib.*
pore perſecutionis palam faciebant ido- *V. c. 14.*
lolatriæ Ethnicæ plurimum deceſſiſſe, & contra Religionem noſtram eo modo indicibiles progreſſus feciſſe: ideo ut mox videbimus à cædibus & ſuppliciis abſtinuit. Ex his videre eſt, quantum momenti ad conſervationem & propagationem veritatis divinæ in zelo illius poſitum ſit. Hoc unum eſt.

5. Secundo eadem veritas, videlicet zelum veræ Religionis principem partem eſſe prudentiæ Eccleſiaſticæ, exinde eluceſcit, quod tentationes mundi, carnis, Sathanæ, præcipue illæ quibus paupertatis, ignominiæ, exilii, cruciatuum, mortis denique terriculamenta nobis objicit, quo nos à veritate divina avertant, ſuſtinere ac ſuperare nequaquam poſſumus, ni zelo armatum pectus habeamus. Ψυχὴ γὰρ, ait Theodoritus de hac re, ὑπὸ θείου ζήλου πυρπολου- *Theod IV.*
μένη οὐδὲν ἀνθρώπειον εἰσδέχεται δέος, ἀλλὰ τὰ *16.*
τοιαῦτα δείματα γέλωτα νομίζει καὶ παίγνιον· *animus enim divino zelo æſtuans nullum humanum timorem admittit, ſed ejuſmodi terriculamenta deridet & pro puerili luſu habet.* Hinc Baſilius cum eum præfectus initio promiſſis ampliſſimis à veritate divina abducere conaretur: μειρακίοις, ἔφη, τοιούτους ἁρμόττειν λόγους· ἐκεῖ-

νοί τε γὰρ καὶ οἱ ἐκείνοις παραπλήσιοι περὶ τὰ τοιαῦτα κεχήνασι· ad pueros, inquit, ejuſmodi verba facere convenit; illi enim & qui iis ſimiles ſunt, talibus inhiant.

6. Tertio idem exinde clarum fit, quod zelus neceſſarium medium eſt ad impediendum curſum perſecutionis. Etenim Tyranni facilius dimoventur à violentia & ſanguine, quando in fidelibus zelum deprehendunt ac conſtantiam qua vitam hanc morti poſtponunt pro veritate divina; quàm ubi vident homines ignavos & timidos ſcutum fidei veræ & ſanctæ profeſſionis noſtræ abjicere. Hæc enim ignavia & timiditas Orthodoxorum, non ſecus ac alioquin in bello fieri ſolet, hoſtes audaciores reddit: quare tunc quidem de perſecutione nihil remittunt, ſed eam ſubinde intendunt. Cauſa autem cur zelo noſtro facilius à perſecutione aut ſuſcipiendâ aut continuandâ dimoventur Tyranni, in eo conſiſtit, partim quod ea ratione pudor ipſis incutitur, dum vident ſe nihil proficere tormentis pro falſa Religione aſſerenda, & contra veram quam evertere conantur, eo magis ſanguine noſtro accreſcere: partim, quod gloriam invident veræ Religioni ſummam, quæ ex martyrio ad eam redit. Confirmemus experientia hoc quod diximus.

Nota ſatis eſt hiſtoria ſanctæ mulierculæ illius Edeſſenæ, quæ ſuo zelo truculentum Imperatoris animum inflexit adeo ut à conatu ſanguinolento deſiſteret. Cum enim Modeſtus præfectus ex mandato Valentis ad templum tenderet cum magna militum manu, Eccleſiam ibi collectam diſſipaturus & gregem dilaniaturus: incidit in mulierem quandam inopem quæ filiolum manu ſecum trahens, eò quanta poterat contentione properabat. Conſpicatus rem præfectus, & rem facile intelligens, jubet eam ad ſe adduci; adductam interrogat; quo ſê conferre vellet. Tum illa; ſe ad locum conventus ire quo & cæteri fideles contenderent. O miſeram te, inquit ille, annon noſti Præfectum omnes quos ibi repererit interfecturum? Audivi equidem, inquit, & propterea propero, deſiderans cædem fidelibus cæteris intentatam unà cum illis ſubire. At infantem, inquit ille, quorſum tandem tecum fers? Vt mecum, ait illa, mortis optatiſſimæ particeps fiat. Hæc cum præfectus à muliere accepiſſet, & ex ejus animo aliorum alacritatem facile perſpiceret, refert rem ad Imperatorem; & cædem illis fruſtra illatam fore docet. Nam, inquit, nihil præter dedecus & ignominiam

Socr. IV. 15. 16. Theod. IV. 161. Sozom. VI. 17.

inde conſequemur, & tamen eorum ſtudium nequaquam exſtinguemus. Hac re commotus Imperator à crudeliſſimo illo conatu abſtinuit.

Eadem cauſa (zelum intelligo fidelium) impulit Iulianum Imperatorem, ut à ſanguine eorum effundendo abſtineret. Etenim ex præteritis perſecutionibus com-

Soz. om. l. 4. perecat, zelum Chriſtianorum tantum fuiſſe ut quævis ſupplicia pro divina veritate ſubirent, adeoque cædes eorum nihil ad conſervandam Gentilium Religionem attuliſſe adjumenti, ſed eo pacto fidem Chriſtianam maximè auctam eſſe, & glorioſiorem ſplendidioremque fortitudine eorum redditam, qui propter Religionem mortem oppetierant. Itaque non quod illis bene cuperet, aut parcere vellet, ſed δόξης αὐτοῖς φθονῶν, ait Sozomenus, *quod gloriam hanc eis invideret*, noluit igni, ferro, aut aliis ſimilibus modis in eos graſſari. Ob eandem cauſam ac ſpeciatim ob pudorem ſeu turpitudinis metum noluit conſtantiſſimum puerulum Orthodoxum Paulillum nomine Genſericus Vandalorum Rex Arianus inter-

Proſp. Chron. an. 441. ficere, *ne ſuperata*, ut Proſper ait, *ſævitia impii Regis etiam illa ætas gloriaretur*.

Ex his omnibus manifeſtum eſt; zelum partem prudentiæ Eccleſiaſticæ eſſe longe excel-

lentiſ-

lentiſſimam ; adeoque inter alia quæ requiruntur ut prudenter in negocio veræ Religionis aliquis verſetur, eſſe zelum : contra eum imprudentiſſime agere , qui vero zelo flagrantem animum non habeat. Nam quia ſine zelo nec Religio conſervari & propagari, nec tentationes vel ſpei vel metus ſuperari poſſunt, & denique quia ad inhibendam crudelitatem perſequutorum vim maximam habet: certe unuſquiſque fateri neceſſum habet, eum imprudentiſſimum eſſe, & ad res Eccleſiæ recte gubernandas atque adminiſtrandas idoneum nequaquam eſſe, qui in Religionis negocio vero & ardenti zelo firmatum pectus non habet. Vnde ſequitur zelum omnis generis hominibus ſumme neceſſarium eſſe.

7. Corollarii loco duo ſunt obſervanda quæ ex dictis fluunt. Vnum eſt, quidnam zelus hic ab omnibus hominibus requirat? nimirum primo ut in conſervãdam & propagandam veritatem divinam conferamus quicquid non ſolum agendo ſed etiam patiẽdo poſſumus; nec curemus etſi illa quæ aut facimus aut patimur illius cauſa, mundo ignota ſint, innumerorum piorum, præcipuè Martyrum inſtar ſequuti , qui ſunt παρὰ μὲν τῶν πολλῶν ἀγνοούμενοι, παρὰ δὲ τῷ θεῷ γινωσκόμενοι, *vulgo quidem ignoti etiam nomine tenus, Deo autem cogniti*, ut Theodoritus de iis loquitur. Quod ſi ve- Theod. IV 26.

ſi veræ Religionis curſum impediri videmus, *Idem l. III. c. 14.* & aliud nihil poſſumus quo ei ſubſidio veniamus; ex animo tamen doleamus & ingemiſcamus, imitati exemplum Iuventini & Maximiani duorum inſignium ſatellitum Iuliani Imperatoris, qui ob introductum ab illo rurſus Gentiliſmum & ob ſacrificia quibus vafer ille perſecutor etiam eſculenta & poculenta Chriſtianorum pollüebat, domi iſta deplorabant, ut ipſi coram Imperatore fatentur: ταῦτα, inquiunt, καὶ οἴκοι τεθρηνήκαμεν καὶ σοῦ παρόντος ἀποδυρόμεθα· *hæc & domi deploravimus, & nunc coram te flebiliter de iis conquerimur.* Deinde poſtulat etiam zelus ille, ut in veritatis non agnitione ſolum, ſed etiam profeſſione externa *Rom. 10. 10.* omni tempore conſtanter maneamus. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad* *Matt. 10 33.* *ſalutem.* Et Dominus ait: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, eum etiam ego confitebor coram Patre meo cœleſti: qui me abnegaverit coram hominibus, eum & ego abnegabo coram Patre meo cœleſti.* Et Apoſtolus ait; *Si perſeveraverimus, etiam conregnabimus; ſi abnegamus, & ille abnegabit nos.* Præſertim autem fervente perſecutione conſtanter in Religione eſt perſeverandum: tunc *Matt. 10. 39.* enim *qui vitam ſuam quærit, amittit; qui autem* *S. Rom. 11 9.* *eam amittit, invenit.* Tunc verum eſt, quod in eandem ſententiam, quaſi interpretatus verba illa Symeones Martyr Perſa ſociis Martyrii,

rii; dum carnifices in opus incumbunt & in cæde Martyrum occupantur, illis aſtans dum interficiuntur, inculcat ζωὴν μὲν ἀληθῶς εἶναι τόδε ὧδε ἀποθανεῖν· τόδε διὰ δειλίαν προδοῦναι θεὸν ὁμολογουμένως θάνατον. *ita mori eſſe vere vivere: per meticuloſitatem autem Deum prodere, eſſe vere mori.* Et quidem caveamus, ne vel ab unica ſyllaba veritatis divinæ, quocunque aut metu aut ſpe propoſita deficiamus, ſed quævis potius ſupplicia perpetiamur, quam ut ejus vel tantillum prodamus. Nam ut Magnus ille Baſilius ad præfectum ait: οἱ τοῖς θείοις λόγοις ἐντεθραμμένοι προέσθαι μὲν τῶν θείων δογμάτων οὐδεμίαν ἀνέχονται συλλαβήν· ὑπὲρ τούτων δὲ καὶ πάσας, εἰ δέον, τοῦ θανάτου τὰς ἰδέας ἀσπάζονται. Theod. IV. 17. *qui ſatris literis innutriti ſunt, ne unicam quidem ſyllabam divinorum dogmatum prodere ſuſtinent: ſed pro his omnia, ſi opus ſit, genera mortis libenter ſubeunt.*

Abhorrendum vero eſt non ſolum à doctrina falſa, ſed etiam à ceremoniis impiis & idololatricis. Cum his enim ut vera Religio ita nec zelus illius ſubſiſtere poteſt. Theod. III 15. Rem hanc probe intellexit Valentinianus major ſub Iuliano, antequam ad imperii faſtigium eveheretur. Nam cum amens ille Tyrannus in fanum fortunæ ingrederetur, & æditui utrinque ad januas ſubſiſterent, ut introeuntes aqua luſtrali, ut ipſi opinabantur, expiarent: Valentinianus Imperatorem præcedens ubi videt aquæ

aquæ guttam chlamydi aſperſam, pugno ferit æditũum, addens hoc memorabile verbum, quo indicabat ceremonia iſta Chriſtianam profeſſionem pollui, μεμολύνθαι φήσας, οὐ κεκαθάρθαι, *ſe pollutum dicens non expiatum*. Quod factũ Valẽtiniani conſpicatus execrandus ille Tyrannus eum in ſolitudinem relegavit. At Valentinianus anno & paucis diebus interjectis μισθὸν τῆς ὁμολογίας τὴν βασιλείαν ἐδέξατο, *pro mercede confeſſionis Imperium Romanum accepit*, ait Theodoritus. Hoc eſto primum corollarium.

8. Alterum eſt, quod ex dictis jam manifeſtum fit, quid ſpei in futurum concipiendum de talibus locis & Eccleſiis ſit, in quibus zelus veritatis divinæ aut nullus aut exiguus eſt. Nimirum tales cœtus homineſve, tales provincias, Reſpublicas, urbes, tempore perſecutionis quam impietate ac profanitate ſua demerentur, veritatem divinam negaturas, ſcutum abjecturas, animæ & æternæ ſalutis jacturam facturas. *Quia tepidus es*, inquit Do-
Apoc. 3. 16. minus, *nec frigidus, nec fervidus, evomam te ex ore meo*. Præterea certum eſt tales levitate ſua, & timiditate animos tyrannorum eſſe aucturos eo tempore, ut multo majorem rabiem & crudelitatem adverſus conſtantes exerceant.
Ib. v. 19. *Ferve igitur, & reſipiſce.*

Ca-

CAPVT IV.

Quomodo intelligendum ſit, & quam vere vulgo dicatur: zelum prudentia temperatum eſſe debere?

1. *Falſus ſenſus illius effati.* 2. *Verus ſenſus ex verbo Dei & experientia Eccleſiæ breviter oſtenſus.*

1. CÆterum hanc prudentiæ Eccleſiaſticæ partem quam zelum dixi, non decet ſolam eſſe & aliis prudentiæ actibus denudatam. Quo ſenſu libentiſſime admittimus quod communiter dici ante innuimus, zelum prudentia temperatum eſſe debere: non quaſi zelus ipſe prudentia non ſit, ſed quia cum aliis prudentiæ actibus conjunctus eſſe debet. Quod niſi obſervetur, h.e. (retinebo enim jam, quia de re conſtat, communem loquendi modum) niſi zelus reliqua prudentia temperatus ſit, graviſſima mala Religioni, Eccleſiæ, proximo & ſibi ipſi facilime aliquis attrahit. Temperamentum autem illud non in eo conſiſtit, ut vel tantillum de zelo remittamus illo, aut vel minimum quiddam in pręjudicium veritatis faciamus vel admitta-

mittamus, aut denique ſegnes illius defenſores ſimus. Qua in re graviſſime & inexcuſabili modo peccatur ab iis, qui zelum prudentia ita temperandum eſſe ſibi putant, ut veritatem non defendant, vindicent, promoveāt, metu offenſionis aut ſpe compenſationis humanæ. Hanc prudentiam eſſe, quæſo, nemo ſibi perſuadeat; niſi prudentiæ ſit ſcelus committere, talentum defodere, veritatem prodere, offēſam Dei incurrere, & æterna ſupplicia ſibi, quantum in ipſo eſt, attrahere.

2. Sed vera prudentia, qua zelus temperandus eſt, in eo conſiſtit, ut zelo illo bene & utiliter ad gloriam Dei, ædificationē Eccleſiæ, concordiam membrorū illius inter ſe, regni deniq; Chriſti incrementum & Sathanicæ Tyrānidis deſtructionem utamur. Circumſpiciendū igitur eſt, quid quo loco utile, quid noxium, quid neceſſarium, quid non neceſſarium ſit, quo ad iſtum ſcopum pervenire queamus. Hanc circumſpectionem Chriſtus nobis commendat non ſolum generali illa ſententia, *prudentes eſtote ſicut ſerpentes*, ſed etiam ſpeciali illo monito, quo jubet *ne ſanctum canibus demus, ne margaritas noſtras coram porcis projiciamus: ne quando conculcent eas pedibus ſuis, & converſi lacerent nos.* Quibus verbis Dominus nos monet inter alia, ni zelo utamur ut par eſt, non ſolum inutilem eum ſed etiam nobis & Eccleſiæ noxium eſſe, adeo-

Mat. 7.6

adeoque zelum qui per ſe prudentia eſt,in imprudentiam abire. Quod quam verum ſit, experta eſt ſæpius Eccleſia magno ſuo cum malo. Nunc unum ſaltem caſum majoris perſpicuitatis gratia ponamus. Zelus pro vera Religione poſtulat, ut idololatria deſtruatur, & templa idolis conſervata evertantur. At ſi hic zelus intempeſtive ſuſcipiatur,verbi gratia ab Epiſcopo aut Paſtore qui cum exiguo grege ſuo agat in ditione principis idololatræ qui ipſum tolerat ſpeciali (ita enim infideles principes judicant) beneficio, h.e. libertatem Religionis Orthodoxæ & profeſſionem ejus non impedit: is vero aggrediatur templorum quæ ad principem pertinent deſtructionem & idola evertat: ecquis non videt zelum illum intempeſtivum eſſe, & maximam perſecutionem non ipſi ſolum ſed etiam gregi attrahere poſſe, eamque interdum tum diuturnam tum cœteroquin graviſſimam & crudeliſſimam. Res loquatur, ne quis impoſſibilia aut incomperta nos fingere putet. Annon zelus intempeſtivus Audæ Epiſcopi Perſæ maximi conſtitit omnibus Eccleſiis Perſicis, eo quod templum Ignis deſtruxiſſet, ut ante memoravimus ex Socrate, Theodorito, Nicephoro. Horret animus quoties horrendam illam perſecutionem è tali occaſione cogito. Alia exempla afferri poſſent plurima, quorum quædam

à no-

à nobis ſuo loco & tempore exhibebuntur volente Domino, exempla zeli inconſiderati & ideo tam publice quam privatim ſæpe noxii. Quare veriſſimum eſt, inſignem illam & nobiliſſimam partem prudentiæ Eccleſiaſticæ, quæ eſt zelus ſanctus & flagrans amor veritatis divinę, non ſolam ſed cum aliis ejuſdem prudentiæ partibus atque officiis conjunctam eſſe debere. Quæ autem illa prudentiæ officia ſint tam circa veram Religionem & illius profeſſores, quam circa errores atque errantes ipſos, ſuis locis ſigillatim in ſequentibus videbimus. Atque hæc quidem de priore parte zeli in vera Religione quatenus is ad omnes pertinet homines generatim dicta ſufficiant.

CAP. V.

De altera parte zeli in vera Religione; quæ eſt vitæ ſanctitas.

1. Vitæ ſanctitatem eſſe partem prudentiæ Eccleſiaſticæ oſtenditur. 2. Monitio de judiciis Dei adverſum eos, qui hanc partem negligunt. 3. Iudiciorum adorandorum Dei memorabile exemplum circa Addæum Senatorem. 4. Alia admonitio de adminiculis pietatis, ex Scriptura, & S. Antonii memorabili conſilio.

1. Vitæ

i. VItæ ſanctitatem pietatemque partem prudentię Eccleſiaſticæ quoq; principem eſſe, longa demonſtratione opus non habet. Etenim ſcriptura ſacra perquam manifeſta in ea re eſt, quando clamat *caput ſapientiæ eſſe timorem Domini, & ſcientiam ſanctorum* Prov. 10.
eſſe prudentiam. Et res oſtendit abſque vitæ 9. Pſal. 111.
ſanctitate veram Religionem neceſſe nec cō- 10.
ſervari aut ad poſteritatem propagari poſſe. Nam quod eſſentiam veræ Religionis attinet, ea non ſolum in veritatis divinæ agnitione conſiſtit, ſed etiam, ut dictū, in vitę ſanctitate, abſque qua illa nihil aliud quam hypocriſis eſt. Vnde Dominus in die illo genus id hominum, utut ſibi larva Religionis placeat, longe à ſe repulſurus eſt; *Certe non novi vos,* dicet, *recedite à me qui operamini iniquitatem.*

Imo non ſolum Religio vera tota abſque vitæ ſanctitate ſubſiſtere non poteſt: ſed etiam nec altera pars quæ eſt veritatis divinæ theſaurus abſque ea conſervari poteſt aut propagari. Denunciat enim Dominus ſe pro juſto ſuo judicio privaturum verbi ſui poſſeſſione eos, qui vitæ impietate & profanitate eam temerant & inquinant. *Ecce dies venturi ſunt, dictum Jehovæ, quibus immittam famem in hanc terram, non fa-* Amos 8, 11.12.
mem habendi panis, neque ſitim aquarum, ſed audiendi verba Iehovæ. Et vagabuntur à mari uno ad alterum, & ab Aquilone ad Orientem uſque diſcurrentes, ad

perveſtigandum verbum Iehovæ, non tamen invenient.
Apoc. 2. 4. 5. Et in Apocalypſi denunciat, ſe earum Eccleſiarum, quæ charitatem ſuam primam omiſerint, candelabrum à loco ſuo amoturum ni reſipiſcant. Experientia quoque omnium ſeculorum teſtatur, Dominum contemtum timoris ſui ſubinde ea ratione ultum eſſe. Itaque clarius eſt, quam ut demonſtratione opus habeat, vitæ veram ſanctitatem ſimpliciter neceſſariam eſſe ad conſervandam & propagandam veritatis divinæ profeſſionem.

In quo autem conſiſtat vitæ ſanctitas, quæ ex vera fide in Chriſtum fluit, ſuperfluum jam foret multis explicare, cum in eo tota ſcriptura verſetur, & id nemo qui veram Religionem profitetur ignoret. Id duobus verbis com-
Marc 1. 15. plectitur æterna ſapientia, cum clamat, *Reſipiſcite & credite Euangelio.* Et Paulus virtutes Chriſtianas uno velut faſciculo complectitur dum vult, ut *quæcunque ſunt vera, quæcunque veneranda,*
Phil. 4. 9 *quæcunque juſta, ſi qua virtus, ſi qua laus eſt, ut ea conſectemur.* Sed inſtituti noſtri ratio non eſt ulterius huic rei inſiſtere, quam quotidie legendo & audiendo verbum Dei diſcimus.

2. Hoc ſaltem monebo: ut eo excitatius hac parte defungamur, conſideranda inter alia eſſe nobis judicia Dei, quæ etiam in hoc ſeculo contra contemtores hujus partis zeli divini exſerit. Omnibus enim temporibus inde

inde ab initio uſque ad hunc diem *notum ſe fecit Iehova judicio, quod exercet, cum ſuo ipſius facto illaqueatus eſt improbus; rem meditandam ſummè!* Per hæc judicia Dei fit, ut impius ſæpè in manus hominum incidat, innocens hujus vel illius facti ob quod condemnatur aut accuſatur, Deo rem ita gubernante, ut ob latens aliquod & plane ignotum facinus puniatur: id quod tandem miſer agnoſcere cogitur, & Deo gloriam in ea re vel invitus dare. *Pſal. 9 17.*

3. *Cujus rei notabile exemplum & omnibus hominibus obſervandum præbet Aëtherius & Addæus uterque ex ordine Senatorio, qui principem locum apud Iuſtinianum Imperatorem diu tenuerant. Hos ſucceſſor ipſius Iuſtinus læſæ majeſtatis damnat. Aëtherius fatetur ſibi propoſitum fuiſſe Imperatorē veneno è medio tollere, ac declarat Addæum illius conatus ſocium fuiſſe, & in omnibus complicem. Verum Addæus gravibus juramentis aſſeverat, ſe iſtius rei plane ignarum eſſe. Vterque tamen ſecuri percutitur. Addæus in ipſo decapitationis articulo declarat rurſus ſe quidem hac in parte innocentem eſſe, fatetur tamen ultro aliud horrendum ſcelus de quo nemo cogitarat. Nam ait ſe δίκαια πάσχειν πρὸς τῆς ἐφόρου τῶν ὁπωςοῦν δρωμένων δίκης· αὐτὸν γὰρ γοητείᾳ τὸν Θεόδοτον ὕπαρχον τῆς αὐλῆς ἀνελεῖν· *juſte à Deo omnium actionum judice & vin-* *Eu·gr. V.3.*

 dice

dice puniri: ſe enim Theodoſium aulæ præfectum magicis artibus è medio ſuſtuliſſe. Revocemus igitur ad animum non ſolum miſericordiam Dei, ſed etiam ſubinde judicia ejus cogitemus; quod ſi à nobis ſerio fiat, ab impietate nobis, quantum in hujus naturæ fragilitate fieri poteſt, cavebimus. Cui autem id curæ non eſt, is haud dubie in laqueos juſtitiæ divinæ incidet, quibus ſe miſer expedire nulla arte, nullo labore poterit. Firmum enim ſtat hoc verbũ:
Pſal. 28. 5 *Quia non animadvertunt ad opera Iehovæ & ad factum manuum ejus, deſtructurus eſt eos, non autem extructurus eos.*

4. Adminicula pietatis alia ſunt plurima, quæ quotidie Deus in verbo ſuo per ſervos ſuos proponit. Quale eſt illud, quo David uſus eſt, qui rationem inibat omnium eorum quæ agebat, ea examinabat & expendebat ad lancem voluntatis divinæ, conſiderans quæ actiones illi placerent, adeóque vel bonæ vel malæ eſſent; Idque in eum finem, ut illa ratio-
Pſal. 119. 59. ne à peccatis ſibi caveret: *Reputo*, inquit, *vias meas, ut referam pedes meos ad teſtimonia tua.* Non nimium diſtat ab hac Davidicæ vivendi ratio-
Theod. l. 13. ne conſilium quod S. Antonius Orthodoxæ fidei ſub Conſtantino Magno aſſertor inſignis dare ſolebat ei, qui ſanćte vivere cuperet. Hortabatur enim eum, ut tum diligenter in opere vocationis ſuæ verſaretur, tum accurate

apud

apud animum ſuum perpenderet & reputaret, quid noctu, quid interdiu feciſſet. Quod ſi quicquam admiſiſſet ſecius quam debebat, ut id tabulis ſuis inſcriberet. Hac enim ratione futurum, ut ſibi à peccato eo melius caveat, ἑαυτὸν αἰδούμενος, εἰ πολλὰ εὕροι γεγραμμένα, ἅμα δὲ δεδιὼς, μὴ φωραθείσης αὐτῷ τῆς γραφῆς κατάδηλος ἄλλοις γένοιτο μοχθηρὸς ὤν· *tum ob pudorem ſi multa ſcripto conſignata talia videret, tum ob metum ne memoriale iſtud forte in alienas manus incidat, adeoque ipſe ab aliis pro improbo ex proprio teſtimonio habeatur.*

CAPVT VI.

Qua ratione princeps hæc & nobiliſſima pars prudentiæ Eccleſiaſticæ, h. e. zelus veræ Religionis ad poſteritatem propagari ab omnibus poſſit, Conſilium primum.

1. Conjugium partis fidelis, non autem infidelis quærendum & amplectendum eſſe. 2. Quantum ejuſmodi conjugium in negocio Religionis veræ poſſit, oſtenditur experientia veteris Eccleſiæ; ſpeciatim Theodoſii Magni. 3. Nec non experientia anonymi Regis Iberum.

EGimus quanta potuimus brevitate ſigillatim ac ſeorſim de utraque ſpecie zeli veræ Religionis, quem diximus omnibus hominibus ad conſervandam & propagandam illam eſſe neceſſariam. Propoſuimus etiam breviter officia & media utriuſque ſeorſim. Nunc proferemus ex prudentia veteris Eccleſiæ ſecundum verbum Dei Conſilia quæ communia ſunt utrique parti prudentiæ illius conjunctim & ſimul cōſideratæ: quæ ſequi debet qui utramque illam conſervare & propagare ad poſteritatem ſuam vult. Qui igitur veram Religionem, h.e. tum veritatem divinam, tum vitæ pietatem conſervare & ad poſteros ſuos propagare vult, cujuſcunque tandem ſtatus aut ſexus ſit, ad hæc duo diligenter attendat: quorum prius in conjugio ineundo, alterum in liberorum inſtitutione prudenter ſuſcipienda conſiſtit.

1. Qui conjugio ſacro nomen dare vult, meminerit, quantum ſe ipſum, veram Religionem & poſteritatem futuram ſuam amat, ut comparem ſibi jungat Orthodoxæ Religionis amantem. Quod ſi faciat; tum exhortationibus, tum exemplo illius magis ac magis in veræ Religionis poſſeſſione zeloque confirmabitur: ſæpe etiam vacillans & ad falſam religionem aut impietatem inclinans erigetur, ac in integrum reſtituetur, adeoque veram religionem

ligionem ad poſteritatem propagare poterit.

2. Docet hoc experientia veteris Eccleſiæ. Tempore Theodoſii Magni eloquentiæ & diſputandi acumine clarus erat Eunomius ex anteſignatis Arianorum. Is tunc privatus agebat in Bithynia, è regione Conſtantinopoleos. Frequens ad eum inde confluebat populus, & alii aliunde accurrebant, vel pertentaturi ipſum, vel alioquin eum audire curioſi. Hujus rei atque hominis fama ad Imperatorem quoque pervaſerat, qui jam animo ſuo conſtituerat ipſum inviſere, & audire. Hoc quo minus effectum daret, effecit Placilla Imperatrix, conjunx ejus, quæ obteſtationibus ſuis eum ab inſtituto avertit. Cauſam addit Sozomenus: Πιστοτάτη γὰρ οὖσα φύλαξ τοῦ δόγματος τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, ἔδεισε μὴ, ὡς εἰκὸς, ἐν διαλέξει παραπειθεὶς ὁ ἀνὴρ μεταβάλοι εἰς τὴν αὐτοῦ δόξαν· *nam cum Nicæni Concilii doctrinam ipſa fideliſſime conſervaret, metuebat ne (quod veriſimile erat) maritus colloquio Hæretici circumventus in illius doctrinam deflecteret.* Ita igitur pia ſuggeſtione ſua Imperatorem conjunx ab Arianæ peſtis contagio immunem præſtitit. Eadem non ſolum in veritatis divinæ agnitione & profeſſione, ſed etiam vitæ ſanctitate & Domini timore conjugem ſuum retinuit. Memorat Theodoritus, Imperato-

Sozom. VII. 6.

rem illum duo adminicula pietatis ſuæ habuiſſe. Nam *præter zelum Sancti Ambroſii tunc Epiſcopi Mediolanenſis habuit etiam*, inquit ille, *aliam quoque occaſionem utilitatis Imperator hic.* ἡ γὰρ γάμου τὸν ζυγὸν σὺν αὐτῷ δεξαμένη τῶν θείων αὐτῷ συνεχῶς ἀνεμίμνησκε νόμων, ἑαυτὴν τούτοις πρῶτον ἀκριβῶς ἐκπαιδεύσασα. *Etenim uxor ejus nunquam deſtitit divinas leges ei in memoriam redigere, quod ipſa prius egregiè iis imbuta eſſet.* Inter alia ſolebat ſubinde marito dicere: Semper te, mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris, & qui jam ſis. Hæc ſi apud animum tuum perpetuo cogitaris, non eris ingratus benefactori tuo, ſed imperium, quod ab eo accepiſti, juſte gubernabis, & hac ratione eum qui ad id faſtigium te evexit, ſancte coles. Τοιούτοις ἀεὶ κεχρημένη λόγοις, οἷόν τινα καλλίστην ἀρδείαν καὶ πρόσφορον τοῖς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς προσέφερε σπέρμασι, *ejuſmodi ſermonibus continue uſa, egregie & fructuoſe ſemina virtutum animo mariti mandata irrigavit.*

Theod. V. 18.

3. Alia eaque inſignis quoque veteris Eccleſiæ experientia oſtendit, quantum poſſit fidelis conjunx ad pietatem & veram Religionem marito perſuadendam, & quantopere Deus conjugio ejuſmodi benedicere ſoleat. Iberiam Armeniæ partem Septentrionalem incolebat gens populoſa & bellicoſiſſima tempore Conſtantini Magni. Rex gentis

Sozom. II 6.

unà

unà cum Regina & tota gente Paganiſmum colebat. Regina in morbum inſanabilem delapſa miraculoſe per invocationem nominis Chriſti à ſancta fœmina Chriſtiana captiva valetudini reſtituta Chriſto liberatori ſuo ſeſe addicit. Rex valetudinem conjugis tam citò & miraculoſe reſtitutam admiratus, jubet captivam donis remunerari. At horum, inquit Regina (refero autem verba Sozomeni) licet valde pretioſa ſint, nulla tamen ei cura eſt: nam ſolum Dei ſui cultum magni æſtimat. Quòd ſi igitur erga eam volumus grati eſſe, & in poſterum tranquille & beate vivere, agedum colamus & nos potentem illum Deum & Servatorem. Hic enim ille eſt, qui Reges, ſi ei placet, eo honorum gradu in quo ſunt frui ſinit: & rurſus perfacile poteſt ex magnis viris abjectos & ex ingloriis illuſtres efficere, atque eos qui rebus aſperis affliċtantur, eripere. Quæ cum ſæpius Rigina apud Regem commemoraſſet, Rex ancipiti diſtrahebatur cogitatione; nec plane perſuaderi poterat, quod res ob novitatem ei ſuſpecta eſſet, & avitam Religionem revereretur. Non diu poſt in ſylvam una cum ſuis ad venationem proficiſcitur: cum de improviſo caligo denſiſſima & craſſus aër undique circumfuſus cœlum & Solem viſui ejus eripit, & nocte tenebriſque ſpiſſiſſimis ſylvam involvit. Ibi tunc unuſquiſ-

rem illum duo adminicula pietatis ſuæ ha-
Theod. V. 18. buiſſe. Nam *præter zelum Sancti Ambroſii tunc Epiſcopi Mediolanenſis habuit etiam*, inquit ille, *aliam quoque occaſionem utilitatis Imperator hic.* ἡ γὰρ γάμου τὸν ζυγὸν σὺν αὐτῷ δεξαμένη τῶν θείων αὐτῷ συνεχῶς ἀνεμίμνησκε νόμων, ἑαυτὴν τούτοις πρῶτον ἀκριβῶς ἐκπαιδεύσασα. *Etenim uxor ejus nunquam deſtitit divinas leges ei in memoriam redigere, quod ipſa prius egregiè iis imbuta eſſet.* Inter alia ſolebat ſubinde marito dicere: Semper te, mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris, & qui jam ſis. Hæc ſi apud animum tuum perpetuo cogitaris, non eris ingratus benefactori tuo, ſed imperium, quod ab eo accepiſti, juſte gubernabis, & hac ratione eum qui ad id faſtigium te evexit, ſancte coles. Τοιούτοις ἀεὶ κεχρημένη λόγοις, οἷόν τινα καλλίστην ἀρδείαν καὶ πρόσφορον τοῖς τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς προσέφερε σπέρμασι, *ejuſmodi ſermonibus continue uſa, egregie & fructuoſe ſemina virtutum animo mariti mandata irrigavit.*

3. Alia eaque inſignis quoque veteris Eccleſiæ experientia oſtendit, quantum poſſit fidelis conjunx ad pietatem & veram
Sozom. II 6. Religionem marito perſuadendam, & quantopere Deus conjugio ejuſmodi benedicere ſoleat. Iberiam Armeniæ partem Septentrionalem incolebat gens populoſa & bellicoſiſſima tempore Conſtantini Magni. Rex gentis

unà

unà cum Regina & tota gente Paganiſmum colebat. Regina in morbum inſanabilem delapſa miraculoſe per invocationem nominis Chriſti à ſancta fœmina Chriſtiana captiva valetudini reſtituta Chriſto liberatori ſuo ſeſe addicit. Rex valetudinem conjugis tam citò & miraculoſe reſtitutam admiratus, jubet captivam donis remunerari. At horum, inquit Regina (refero autem verba Sozomeni) licet valde pretioſa ſint, nulla tamen ei cura eſt: nam ſolum Dei ſui cultum magni æſtimat. Quòd ſi igitur erga eam volumus grati eſſe, & in poſterum tranquille & beate vivere, agedum colamus & nos potentem illum Deum & Servatorem. Hic enim ille eſt, qui Reges, ſi ei placet, eo honorum gradu in quo ſunt frui ſinit: & rurſus perfacile poteſt ex magnis viris abjectos & ex ingloriis illuſtres efficere, atque eos qui rebus aſperis afflictantur, eripere. Quæ cum ſæpius Rigina apud Regem commemoraſſet, Rex ancipiti diſtrahebatur cogitatione; nec plane perſuaderi poterat, quòd res ob novitatem ei ſuſpecta eſſet, & avitam Religionem revereretur. Non diu poſt in ſylvam una cum ſuis ad venationem proficiſcitur: cum de improviſo caligo denſiſſima & craſſus aër undique circumfuſus cœlum & Solem viſui ejus eripit, & nocte tenebriſque ſpiſſiſſimis ſylvam involvit. Ibi tunc unuſquiſ-

que ſibi metuere ; unde factum ut hinc inde diſpergerentur. Rex autem ſolus oberrans, ut ſolet accidere hominibus, quorum animi in rebus arduis perplexi ſunt, de Chriſto cogitare, eumque Deum eſſe apud animum ſuum reputare cœpit; vovitque ſe eum in poſterum ut Deum culturum, ſi modò ex periculo, in quo conſtitutus erat, evaderet. Dum iſta animo agitat, caligo ſubito diſcuſſa eſt, & aër in ſerenitatem rediit. Itaque Solis radiis per nemus diffuſis, inde ſalvus evaſit. Ac cum id quod ſibi contigerat cum conjuge communicaſſet, accerſit ad ſe captivam: quoque modo Chriſtus colendus ſit doceri jubet. Quæ cum Regem docuiſſet ea quæ mulieri fas erat vel dicere, vel facere; ille convocatis ſubditis divina beneficia & quæ tum ſibi tum conjugi accidiſſent, palam commemorat. Et quanquam myſteriis Chriſtianæ Religionis nondum eſſet initiatus, Chriſti tamen doctrinam ſubditis imperat, & omnibus communiter Chriſtum colere perſuadet, ipſe quidem viris, conjunx autem cum captiva mulieribus. Ita mirum in modum benedicente Domino exhortationi Reginæ, Rex una cum tota gente Iberum ad fidem Chriſtianam perductus fuit. Hæc Sozomenus: apud quem etiam legere eſt miraculum quod in conſtructione templi ad captivæ preces contigit, quo fides Iberum multo etiam

iam magis quam præcedentibus miraculis confirmata fuit.

CAPVT VII.

Conjugii cum parte infideli initi quatuor mala ſeu pericula.

1. Proponuntur mala quæ ex tali conjugio naſci ſolent. 2. Probatur res ex verbo Dei. 3. Confirmatur experientiâ Eccleſiæ veteris in Valente, Iuſtiniano, Valentiniano Iuniore, & Baſiliſco Imperatoribus. 4. Conſulere Principi conjugium infidelis partis an expediat Conſultori, deciditur experientia veteris Eccleſiæ in Cyro Epiſcopo Alexandrino. 5. Officium partis fidelis quæ infidelem ſibi junxit. 6. Officium inferiorum erga fidelem ſuperiorem qui infidelem partẽ ſibi ſociavit.

1 HIc igitur fructus ex Orthodoxorum connubio naſcitur. Vnde manifeſtum eſt eum qui infideli ſe nectit, per iſtud vinculum graviſſimis periculis & malis ſe eoſque qui ad ipſum pertinent exponere. Pręterquam enim quod privat ſe ipſum neceſſariis ac ſaluberrimis ſuggeſtionibus, utiliſſimis ſæpe toti Reipublicæ, etiam hæc quatuor pericula & mala inde expectanda ſunt. Primò enim periculũ eſt ne pars fidelis ſeducatur ab infideli & in

in falſam Religionem pertrahatur. Vnde infinita mala redundãt non ſolum in ipſum & familiam ejus, ſed etiam, ſi Princeps ſit, in totam Rempublicam & Eccleſiam. Secundò, ſi uxor hoc aut non audet marito ſuggerere aut fruſtra ſuggeſſit, conabitur nihilominus ſuam Religionem eique addictos promovere non minus quam maritus veram Religionem ejuſque profeſſores. Tertiò, ubi conjunx mortuus eſt in fide Orthodoxa, conabitur liberos ſeducere, quod eo facilius ipſi eſt, quando illi minorennes ſunt. Quartò ubi uxor maritum ſeduxit aut liberos, eos ad vexandum & perſequendum pro viribus Orthodoxos incitabit. Hac mala metuenda eſſe ex conjugio partis infidelis, verbum Dei teſtatur & experientia veteris Eccleſiæ.

Gen. c. 3. 1. &c. 2. Primum igitur periculum quod attinet; ecquis neſcit Evam à ſerpente, Adamum Evæ *Gen. 6. 2. &c.* perſuaſionibus ſeductum eſſe. Rurſum cum filii Dei ſibi jungerent filias hominum, hoc eſt, fideles ſibi infidelium prolem in ſocietatem conjugii adſciſcerent, à Deo defecerunt, & diluvii horrendum ſupplicium ſibi attraxerunt. Metuens ſuæ familiæ ab hoc malo Abra-*Gen. 24. 3. &c. c. 27. 46. & c. 28.* hamus, noluit ut Iſaacus ex alia gente quam ſua, ex qua Deus ſibi Eccleſiam legere cœperat uxorem duceret. Eandem curam Iſaacus & Rebecca circa Iacobum habebãt, & quod

Eſau ſibi ex infidelibus conjuges duxiſſet, *Gen. 25. 34.35.*
ſumma cum animi acerbitate vitam reliquam
exegerunt. Quid Salomoni idololatricarum nuptiarum & amorum illecebris capto contigerit, cum ingenti & irremediabili malo familiæ ipſius totiuſque regni, omnibus conſtat. Et Ioramus filius piiſſimi Regis Ioſaphati, veſtigiis Achabi impii & idololatræ Regis inſtitit: cujus rei cauſam uno verbo Spiritus S. aperit hanc; *nam*, inquit, *filia Achabi erat ei uxor*. Atque ideo Dominus hanc prudentiæ partem expreſſa lege commendavit populo ſuo: *Cave*, inquit, *ne accipias de filiabus ejus terræ pro filiis tuis, ſcortanteſque filiæ ejus poſt Deos ſuos efficiant ut ſcortentur filii tui poſt Deos ipſarum*. Item: *Neque conjungito te affinitate cum eis; filiam tuam ne dato filio ullius earum, & filiam ullius ne accipito pro filio tuo. Abduceret enim filium tuum à me, & colerent Deos alienos; quamobrem accenſus ira Iehova perderet vos celeriter*. Et Paulus generatim prohibet, ne ullo vinculo jungamur cum infidelibus quod nos à vera Religione alienos reddere poſſit: *ne jugo alieno*, inquit, *copulemini cum infidelibus*.

3. Et experta eſt vetus Eccleſia Chriſtiana ſuo ingenti cum damno, quanti ſibi conſtiterit tale connubium, hoc eſt, quantam Eccleſiæ diſſipationem, perſecutionem, ſanguinis filiorum Dei effuſionem, quantum

etiam

etiam Reip. detrimentum poſt ſe traxerit. Valens Imperator initio Orthodoxus erat, poſtea tamen inconſtantem animum cum veritatis aperta proditione palam fecit: *idemq; accidit miſero* (ſunt verba Theodoriti) *quod primo noſtro parenti Adamo. Nam verborum lenociniis conjugis ſuæ delinitus, in ſervitutē erroris datus eſt, & factus non captivus ſolū, ſed etiam muliebrium verborū fallaciis obſequēs.* τῆς γάρ τοι Ἀρειανικῆς ἐξαπάτης ἐκείνη πρότερον θήραμα γενομένη, συνεθήρευσε καὶ τοῦτον, καὶ σὺν αὐτῇ πεσεῖν εἰς τὸ τῆς βλασφημίας ἀνέπεισε βάραθρον· *ſiquidem illa hæreſeos Arianæ laqueis ante irretita, maritum in eadem retia conjecit, & perſuaſit, ut non minus quàm ipſa in blaſphemiæ barathrum præceps rueret.* Hanc Valentis apoſtaſiam ingens tempeſtas ſequuta eſt, quæ non ſolum Eccleſiam & imperium Romanum miſere concuſſit: ſed etiam ipſum tandem abſorpſit. Etenim ſtatim Orthodoxos perſequi cœpit acerrimè ad mortem uſque ſuam exiliis, gladio, igni, ſubmerſionibus & aliis cruciatibus: & Deus zelo veritatis ſuæ permotus Gotthos adverſus ipſum armavit, qui Imperium graviſſime afflixerunt; tandem ipſe in prælio victus cum in tugurium quoddam fugiens ſe conjeciſſet, in eo vivus ab inſequentibus Gotthis combuſtus fuit. Hæc de primo periculo.

Theod. IV. 11.

Secundum diximus eſſe, quod ubi conjugem fidelem pars infidelis ad defectionem aut

non

non audet ſollicitare, aut fruſtra ſollicitavit: conabitur nihilominus falſam Religionem eique addictos pro viribus promovere, adeoque veram Religionem quantum in ipſa eſt evertere. Docet hoc experientia Eccleſiæ ſub Iuſtiniano Imperatore. Is habuit conjugem Theodoram Eutychianæ hæreſi addictam. Quemadmodum autem Iuſtinianus Epiſcopis Chalcedonenſis Concilii doctrinam adverſus illam hæreſin aſſerentibus ac profitentibus adhærebat: ita Theodora illos, qui unam tantum naturam in Chriſto ſtatuebant, fovebat. An ita inter eos convenerit, ut nonnunquam fieri ſolet, an vero id ab effectu utriuſq; erga ſuam Religionem profectum fuerit, non conſtare ait Euagrius: quicquid ſit, inquit, ἀλλήλοις οὐκ ἐνέδοσαν, *alter alteri non cedebat*. Sed ille quidem Chalcedonenſis Concilii aſſertores ſive Orthodoxos ſtudioſe defendebat, ἡ δὲ μετὰ τῶν ἀπεναντίας οὖσα τῶν λεγόντων μίαν φύσιν παντοίως προὐνόει, καὶ τούς γε ἡμεδαποὺς περιέθαλπεν, καὶ τοὺς ἀλλοδαποὺς μεγάλοις χρήμασιν ἐδεξιοῦτο: *Theodora autem utpote ſectæ Eutychianæ addicta, omnibus modis commoda eorum curabat qui unã tantum naturam in Chriſto ſtatuunt, & eos quidem ex illa ſecta qui haſce provincias inhabitant ſummopere fovit, exteros autem magnis opibus ac donis munerabatur*. Quin etiam marito auctor fuit, ut Severum Eutychianæ factionis anteſignanum Epiſco- Euagr. IV. 10.

Epiſcopum Conſtantinopolim evocaret.

Tertium malum eſt, quod exinde liberos manet poſt obitum partis fidelis & conſtãtis, pręſertim ubi minorennes ſunt. Periculũ enim eſt ne illi in caſſes quoque auctoritate paterna vel materna perſuaſi incidant, & à vera Religione maximo ſuo cum malo deficiant. Imperator Valentin. major in vera Religione mortuus viduam reliquerat Iuſtinam cum filio paterni & nominis & Imperii hærede. Iuſtina Ariana erat; quæ vivo quidem marito nullo incõmodo audebat afficere Orthodoxos; ut Socrates refert. Imo quod magis eſt, ut teſtatur Theod., quod nõſſet zelũ mariti ſui erga Orthodoxam doctrinam, toto quo ille vixit tempore occultavit morbum ſuũ & Orthodoxam Religionem ſimulavit. Ex mariti autẽ morte & ætate filii tunc adhuc valde adoleſcentis occaſionem ſumendam ſibi duxit, pervertendi animum illius & ad Arianam impietatẽ avertendi. Nec in caſſum id molita eſt. Seducit adoleſcentem, quod is exiſtimaret, monita ac conſilia matris ſuæ non poſſe non utilia ſibi & bona eſſe. Et primùm quidem S. Ambr. Mediolanenſi Epiſc. mentem ſuam ea de re aperit; non diſcendi cauſâ, ſed quod putaret ſi hũc conſentientem ſibi haberet, de cæteris facilius negocium fore. At Ambroſius revocat ei in memoriam pietatem paternam, & hortatur ut

Socr. V. 11. Theod. V. 13. 14. Sozom. VII. 13.

ut ſanę doctrinæ hęreditatem ſibi relictã integrã conſervet. Exponit ei præterea doctrinarũ differentiam, & quomodo Orthod. doctrina cum verbo Dei conſentiat, Arianorum autem dogmata Spiritus S. oraculis omnino repugnent. Valentinianus v. utpote adoleſcens & à matre incitatus, tãtũ aberat ut Ambroſii aſſentiretur orationi, ut etiã iracundia inflãmatus Eccleſiæ in qua Ambroſius habitabat ambitũ militum turmis & cohortibus cingeret, & Ambr. mandaret ut Eccleſia cederet. Ita animus pueri Imperat. in tranſverſum à matre heretica actus fuit. An vero ſine malo illius? Nequaquã vero. Maximus erat quidam, quẽ Sev. Sulpitius Imperatorẽ, cęteri Tyrannũ vocãt, is cum Galliar. & Britanniar. res in poteſtatem ſuam redegiſſet, ex illa Valentiniani jun. apoſtaſia prætextũ ſumit plauſibilem ſatis, armorum ſuorum injuſtitiam Religionis mantelo (ut fieri ſæpe ſolet) tegendi. Quare ad Valentinianum literas ſcribit, hortaturque ut tum à perſecutione contra Orthodoxos ſuſcepta deſiſtat, tum ut ad paternam veram Religionem redeat. Tandem minatur ſe bellum contra eũ ſuſcepturum, niſi obtemperet. Dictum factũ. Nam collecto exercitu Mediolanum, ubi agebat Valentinianus ſubito movit Maximus. Cujus adventu cognito Valentinianus in Illyricum fugit. τῇ πείρᾳ μαθὼν τίνων ἐκ τῆς μη-

Sulpit. lib. II.

τρωῶας ἀπώνατο ζυμβȣλῆς ait Theodoritus h.e. *experientia doctus quid commodi maternum ſibi attuliſſet conſilium.* Et abſque Theodoſio fuiſſet Orthodoxo Imperatore qui ei ſuppetias tulit, Imperio penitus & forte vita ſimul privatus fuiſſet.

Quartum malum eſt, quod pars infidelis *Socr. Theod. Sozom.* ubi vel conjugem vel liberos ſeduxit, eos ad vexandos pro viribus Orthodoxos ſuaſionibus ſuis impellit. Ita enim quod Valentinianus ille Ambroſium Epiſcopatu dejicere & in exilium mittere voluit, atq; in Ambroſii perſecutione nõ ſubſiſtere, ſed inde ad cæteros Epiſcopos tranſire, ac in eorum locũ Arianos introducere conſtituit; illud omne de mente & ſuggeſtionibus matris factum, ut Socrates & Theodoritus teſtantur, & clarius Sozomenus, qui ait, cum Iuſtina Arianiſmum introducere conaretur & ei Ambroſius reſiſteret, eam graviter indignatam accuſaſſe Sanctum Virum apud filium, ac ſi contumeliis ab eo affecta fuiſſet. Itaque Valentinianum calumnias eas veras eſſe ratum, matris vindicandæ titulo militum turbam Eccleſiæ immiſiſſe, qui facto in templum impetu per vim irrumpentes, & Ambroſium raptantes è veſtigio in exilium adducturi fuiſſent, nî populus tunc obſtitiſſet. Nec ceſſaſſet à perſecutione omnium Orthodoxorum ſuſcipienda & perficienda, nî adverſus

nun-

nuntius de Gratiano privigno ſuo, quem Maximus Tyrannus per dolum interemerat & progreſſus Maximi, eam filiumque ab inſtituto avocaſſet.

Sic Baſiliſcus Imperator Zenonidem conjugem habebat Eutychianæ hæreſi addictam. Hic ubi ad imperium perveniſſet fidem Orthodoxam ſubvertere & perſequi recte ſentientes aggreſſus eſt Ζηνωνίδος μάλιϛ παρορμώσης κατὰ τῆς ὀρθοδοξίας βασιλίσκον, *Zenonide maximè ipſum contra Orthodoxam Religionem inſtigante*, ait auctor collectaneorum Theodori Anagnoſtæ. *Theod. anagn. Collect. lib. 1.*

4. Ex his omnibus facile colligere eſt, *primò*, rectene an ſecus conſuluerit Heraclio Imperatori Cyrus Alexandrinus Patriarcha, ut vexæ redimendæ cauſa Omaro Saracenorum Principi infideli deſponderet Eudociam Auguſtam filiam ſuam aut aliam ex filiabus ſuis, eo prætextu ὡς ἐντεῦθεν τῷ θείῳ λουτρῷ βαπτισθησομένῳ καὶ χριστιανῷ χρηματίζοντι, *quod ſic Barbarus ad Religionem Chriſtianam converti & ad Baptiſma ſuſcipiendum impelli poſſet*. Sed hoc conſilium Heraclius ſequi noluit. Quòd magis eſt conſilium illud peſſimè ceſſit conſultori. Nam paulo poſt gratiâ Imperatoris excidit, qui ei criminis loco objecit, quod cum infidelibus conſpiraſſet, & erga Paganiſmum melius quam Religionem Chriſtianam affectus *Niceph. Patr. Conſtant. nop. ad*

eſſet, argumento exinde petito, quod conſuluiſſet infideli, *κατεγγυηθῆναι τὴν τοῦ βασιλέως θυγατέρα deſponderi Imperatoris filiam*, ait Nicephorus Patriacha. Igitur mortem minitatus tradidit eum præfecto urbis torquendum ac cruciandum. Ex quo patet non expedire ut quis alii præſertim Principi ſuadeat connubium tale. Nam conſultor non ſolum ſuſpicionem movet aliis, ſibi Orthodoxam Religionem parum curæ eſſe, ſed etiam fieri poteſt ſi conſilium diſpliceat aut alioquin non ſuccedat, ut eo nomine conſultor gratiâ Principis excidat; aut ſi cum tempore ob aliam cauſam eâ excidat id conſilium inter præcipuas cauſas ponatur ſupplicii ipſius; aut ſi nulla alia cauſa ſit, ex hoc conſilio ſumatur anſa in ipſum animadvertendi.

5. Secundò ex dictis luce clarius meridiana eſt, eum qui veræ Religioni, Eccleſiæ, poſteritati, & propriæ ſaluti prudenter & tuto conſulere vult, Orthodoxæ perſonæ non autem infidelis connubium quærere aut amplecti debere. Præcipue autẽ hac prudentiæ parte defungi debent Reges, Principes, Magiſtratus. Horũ enim bene an male, feliciter, an infeliciter acta, non ad familiam tantum ipſorum & perſonas proprias, ſed ad totius Reip. & Eccleſiæ commodum aut detrimentum redundant. Scio per Dei indicibilem bonitatem fieri, ut inter-

interdum, quemadmodum indicavi, pars infidelis fidelem non ſeducat, nec in cætera quæ dixi mala præcipitet: interim, quæ ex verbo Dei & experientia Eccleſiæ veteris attulimus manifeſtiſſime docent; rem periculoſiſſimam eſſe connubium contra Dei mandatum ſuſceptum, eo Deum per conſequẽs offendi, & ordinarie iſta, quæ dixi mala exinde proficiſci. Quæ ſi non inde naſcantur, id extra ordinem eſt & Dei miſerantis opus, qui familias, Eccleſiam & Rempub. clementi oculo reſpicit, dum numerum Electorum ſuorum in familia aut Rep. aliqua perficiat. Interim fiducia & ſpe iſta extraordinaria Deus tentandus nõ eſt. Eorum eſt, qui in hac parte imprudentiæ impegerunt, facere quod de cæteris peccatis ſuis faciunt; à Deo veniam ardẽter petere; eo majore cum fervore & pietate ipſi in cæteris adhærere partibus officii ſui, ſibi diligentiſſimè cavere, ne in laqueum, qui ante pedes ipſorum eſt incidant; & tum vitæ ſuæ converſationiſque integritate tum ſalubribus ſuggeſtionibus hoc agere, ut lucrentur & alterãm ſui partem hoc eſt, conjugem, eam captivam ducant ſub obſequium Ieſu Chriſti, & ita Sathanæ laqueos, queis eos captivos ſub ſe ducere vult, ſancta prudentia eludant. Quo ita, ubi uno ore & animo Deo hic inſervierint, ſimul ad tabernacula Domini cum gaudio ambularint,

precibus conjunctis divinam benedictionem & protectionem impetrarint ; tandem una cum iis quos in hoc mundo chariſſimos habent, in cœleſtem gloriam & felicitatem indicibilem ſuſcipiantur , ubi æternùm gaviſuri ſunt facie atque contemplatione ſponſi ſui Ieſu Chriſti, & ſpectaturi *Salomonem* illum cœleſtem *cum corona qua coronavit eum mater ejus*
Cantic.3. 1. *die ſponſaliorum ejus*: *& die lætitiæ animi ejus.*

6. Ex altera parte ubi fidelis infidelem partem ſibi junxit, officium inferiorum, qui ad fidelem pertinent, in ſpecie liberorum aut ſubditorum eſt; non ideo odiſſe fidelem ob errorem admiſſum, ei refractarios ſeſe exhibere, aut rebellionem ſeditionemve movere, aut quicquam denique contra leges divinas vel humanas intentare ac moliri. Sed potius decet illos vitam eo magis ad timorem Domini & obſequium juſtum ſuperioris componere; tum ut Deus ipſis propitius maneat & per conjugium iſtud ut vindictæ ſuę inſtrumentum eos non puniat; tum ut ſua obedientia, probaque converſatione ſuperiorem demerantur; & fidelem eo magis ad conſtantiã in pietate veræque Religionis amore incitent, infidelem autem partem etiam ſua modeſtia, probitate ac honeſta vita, quantum in ſe eſt, lucrentur.

Caput VIII.

Conſilium alterum circa conſervationem & propagationem hujus prudentiæ; in liberorum inſtitutione poſitum.

1. *Quanta utilitas ex liberorum inſtitutione in vera Religione ad familias, Remp., Eccleſiam redundet, oſtenditur experientia Eccleſiæ veteris in liberis Arcadii Imperatoris.* 2. *In hunc finem Scholas & Magiſtros nō Orthodoxos fugiendos exemplo Iuliani Apoſtatæ oſtenditur.* 3. *Parentum, propinquorum & ſimilium officium erga liberos &c. deflectentes ad falſam Religionem: exemplo viri illuſtris Beroenſis, nec non Theodoſii Magni.*

1. HOc primum conſilium eſt. Alterum quod neceſſarium eſt omnibus etiam hominibus ad conſervationem & propagationem veri zeli, veræ Religionis, adeoque hujus nobiliſſimæ partis prudentiæ Eccleſiaſticæ, cohæret cum præcedente conſilio, & in liberorum inſtitutione conſiſtit. Si enim ad poſteritatem propagari debet vera Religio; certe liberi in illius amore, hoc eſt, ſtudio veritatis divinæ & timore Domini diligenter ſunt inſtituendi. Hanc prudentiæ partem commendat Dominus Abrahami exemplo: *Agnovi* Gen. 18. 19.

eum, quod præcipiet filiis ſuis & familiæ ſuæ poſt ſe, ut obſervent viam Iehovæ exercendo juſtitiam & jus; utque præſtet Iehova Abrahamo id quod ei promiſit. Et ſanxit eam ſolenni mandato: *Erunt verba iſta,*
Deut. 5. 6.7. *quæ ego præcipio hodie, in corde tuo. Eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis, cum ſedes domi tuæ &c.* Rurſus eam per Apoſtolum præcipit: *Patres e-*
Eph. 6.4. *ducate filios veſtros in diſciplina & admonitione Domini.* Hoc tum omnibus hominibus, tum præcipue Regibus & Principibus eſt faciendum. Hinc enim fructus ingens ad familias, Regna & Principatus eorum adeoque ad Eccleſiam redundat. Qui quidem tantus eſt, ut etiam ne quidem cum vita ipſorum ceſſet, ſed etiam poſt funera prorogetur, ſpeciatim tunc quando moriuntur relicta prole, cujus pars aliqua etiamnum minorennis eſt. Tunc enim major natu præeſſe cæteris ſalubriter, eis piorum parentum loco in pari amore pietatis & veritatis inſtituere poteſt; adeoque mirum quantum toti Regno, provinciæ, Eccleſiæ prodeſſe. Cujus rei experientiam inſignem præbet vetus Eccleſia in Arcadio Imperatore, & ejus fi-
Sozom. IX. 1. lia Pulcheria. Vita functus Arcadius reliquit Imperii ſucceſſorem Theodoſium filium ſuum recens ablactatum, & filias tres, Pulcheriam, Arcadiam, & Marinam etiamnum admodum juvenculas. Natu maxima liberorum erat Pulcheria nondum quindecim annorum virgo;

virgo; ſed ſupra ætatem ſapientia, pietate, ingenio & omnibus virtutib⁹ pollẽs. Hæc Imperii & Theod. adminiſtratrix, ſeu procuratrix, ut loquuntur, conſtituta, ſororibus, præcipuè autẽ fratri parentis loco fuit. Nam ut ipſa erat cum ſororibus in Religione & pietate vera educata; ita ſororibus præſertim vero fratri ducem ſe veræ pietatis exemplo & ſuggeſtionibus ſuis præbuit. Curabat eum quidem in cæteris virtutibus Imperatore dignis, ut in ſcientiæ militaris rudimentis, armorum tractandorum dexteritate, literarum cognitione ab harum rerum Profeſſoribus inſtitui: & ipſa quoque eum erudiebat quomodo in proceſſu decenter atque regiè ſe gerere, in veſtitu, in ſeſſione, in inceſſu decorum obſervare, quomodo cohibere riſum & pro re nata vel amabilis vel formidabilis eſſe, ac eos qui aliquid peterent, appoſite audire deberet. Sed præcipue eum tum in veræ Religionis amore, hoc eſt, ſtudio veritatis divinæ & piæ vitæ inſtituebat, aſſuefaciens eum (ſunt verba Sozomeni) ut & continenter oraret, & Eccleſias diligenter frequentaret, in precio haberet Epiſcopos ac cæteros viros pios ac Religionis amantes. Quinetiam cum periculum eſſet, ne in Religione per falſa dogmata, quid innovaretur, vigilanter & prudenter obſtitit; adeo ut, quod noſtra memoria nova illa dogma-

ta & hæreſes non prævaluerint , ipſa potiſſimum in cauſa fuerit. Hæc Sozomenus.

2. Vt autem liberi in prudentia ea , quæ Deum immediate concernit, hoc eſt, zelo veræ Religionis recte inſtituantur, & in ea conſtantes permaneant, his duobus mediis inter alia eſt utendum. *Primum* cavendum eſt, ne Scholis errorum, idololatriæ, ſuperſtitionis, ſeu præceptoribus aut Doctoribus committantur iis, qui falſæ Religioni & impietati ſunt addicti. Si enim talibus committantur aut utātur ducibus, proclivis omnino lapſus à vera ad falſam Religionem eſt; præcipue ubi ingenio & genio illorum, magiſtri callide ſeſe accommodant, ut ſeducere cupientes facere ſolent. Teſtatur hoc experientia veteris Eccle-

Socr. III. 1. *Sozom II.* 2.

ſiæ magno ſuo cum malo, quod Conſtantius in ea re laudandus timuit & prævidit. Qui cum jam Imperio poſt Patrem Conſtantinum Magnum potiretur, de Iuliani tunc adoleſcētis (qui Conſtantini M. ex fratre nepos erat, poſtmodum apoſtatæ nomen ſortitus) inſtitutione ſollicitus, noluit ut Ethnicos Præceptores haberet atque audiret. Itaque cum Conſtantinopoli in Baſilica (ibi enim tum ludus literarius erat) honeſtis diſciplinis excolendum tradidit; ſub præceptoribus tantum Chriſtianis. Τοῦτο δὲ βασιλεὺς Κωνστάντιος προὐνόησε, μήπως ἕλληνος διδασκάλου ἀκροώμενος

πρὸς

πρὸς δεισιδαιμονίαν ἐκκλίνοι, *hoc autem*, inquit Socrates, *ideo Imperator Conſtantius providè fecerat, metuens ne ſi Iulianus Ethnicum præceptorem audiret ad Gentiliſmum deflecteret.* Poſt hæc eum Nicomediam mittit, κελεύσας μὴ φοιτᾷν παρὰ Λιβανίῳ τῷ Σύρῳ σοφιστῇ, *ac juſsit ut ne ibi frequentaret Scholam Libanii Sophiſtæ Syri Ethnici.* Itaque Iuliano quidem integrum non erat adire Libanii auditorium, eo quod is Ethnicus eſſet. Quia tamen ſcriptorum ejus legendorum deſiderio flagrabat, ea clam ſibi comparavit, & ſummo ſtudio evolvit. Hac re non contentus cum Nicomediam veniſſet Maximus Philoſophus Ethnicus (quem poſtea Valentinianus ob Magicas artes è medio tolli juſſit) Iulianus primum Philoſophicas ſcientias ſub eo percepit, & mox Religionem præceptoris imitari cæpit. Vtebatur autem Maximus hoc artificio ut deſideriis & ſpebus Iuliani ſe conformaret, in ambitione dominandi eum confirmaret, ac ea ſpe nutriret fore ut ad Imperium eveheretur. Qua re factum, ait Sozomenus, ut illud contingeret Iuliano, quod multis ſolet accidere cum metu rerum adverſarum affliguntur; parum enim ante hac abfuerat quin à Conſtantio occideretur. Itaque Iulianus in ſpem bonam à Maximo inductus eum charum habere cœpit, adeoque in negocio Religionis fidem ei tanto facilius adhibuit. Quæ res

res cum ad Conſtantiũ delata fuiſſet, Iulianus ut ſuſpicionem evitaret; ad cutim uſq; radendum ſe curavit ac vitam monaſticã ſimulavit. Et palam quidẽ Biblia ſacra legebat, clam autẽ Philoſophorũ Ethnica dogmata tractabat & ſtudioſe evolvebat. Ita à præceptoribus in fidelibus à vera religione abductus Iul. fuit, qui ſe juratiſſimũ & verſutiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem poſtea re ipſa declaravit, ut notũ eſt, cum ad Imperium evectus fuiſſet. Adeoque metus Cõſtantii in ea re nequaquam inanis fuit. Itaque cavendum ſedulo eſt parentibus ne ætatem, per ſe nimium quantum lubricam ad malum, præſentiſſimo periculo exponant, ac liberos ſuos Scholis & præceptoribus talibus, hoc eſt, ovem lupo committãt. Quod hodie Orthodoxis eo facilius eſt quia per Dei gratiam Orthodoxarum Scholarum & virorum ubivis abundè eſt, quibus educatio & inſtitutio pignorum noſtrorum committi poteſt. Hac felicitate & copia caruere ſecula veteris Eccleſiæ, quibus Eloquentia, Iuriſprudentia & Philoſophia ſæpius à Paganis præceptoribus haurienda fuit; quod Orthodoxi Doctores adminiculorum iſtorum & diſciplinarum periti deeſſent. Vnde viri aut alioquin adultiores, jam in Religione Chriſtiana ſufficienter inſtructi & maturo judicio præditi cogebantur interdum ab infidelibus ſci-

entias

entias & facultates iſtas haurire. Id quod Chryſoſtomo ejuſque æqualibus Euagrio, nec non Theodoro poſtea Mopſueſtiæ & Maximo Seleuciæ in Iſauria Epiſcopo contigit, qui ad Eloquentiæ ſtudium Libanio Sophiſta & ad Philoſophiam diſcendam Andragathio præceptoribus uſi fuerunt. Nos quorũ major in ea parte eſt felicitas, certe adeo ſtulti eſſe non debemus & imprudẽtes, ut panem, quod dicunt, ex flamma petamus, quẽ in menſa paratum affatim habemus. Hoc unũ eſt mediũ. *Socr. VI. 3.*

3. Alterum medium, quo uti debent parentes, qui liberos in amore Religionis continere volunt; eſt coërcitio & caſtigatio eorum, ubi à vera Religione deflectere cœperunt. Hæc coërcitio vel gravior, vel levior eſt prout tum erroris ad quem deflectunt turpitudo major minorve eſt, tum legum & edictorum Regni ſeu provinciæ alicujus & Reip. conſtitutiones permittunt. In hac igitur parte & zelum ſuũ erga divinam veritatem, & curam ſuã erga ſalutem familiæ palam facere debent parentes. Si aliud nihil in ea re efficere poſſunt; ſufficere ipſis debet bonæ conſcientiæ teſtimonium, quod officio ſuo defuncti fuerunt. Hoc zelo curaque circa filium uſus fuit ſub Iuliano Imperatore vir illuſtris Beroenſis, qui principem locum in ea Republica tenebat. Hujus filius Paganiſmi impietate ſe polluerat. *Theod III. 13.*

Pater

Pater eum ob hanc cauſam domo expellit, hæreditate abdicat. Filius ad Imperatorem in vicina urbis ſtatione tunc commorantem accedit, ei ſuam de Religione mentem aperit, & quomodo à Patre abdicatus ideo ſit, exponit. Iulianus juvenem bono animo eſſe jubet, pollicitus ſe eum parenti reconciliaturum. Beroam igitur ubi Imperator venit, principes civitatis viros ad epulum convocat; inter quos etiam juvenis iſtius Pater erat. Hunc jubet Imperator cum filio ſuo ipſius menſæ accumbere; atque circiter medium epulum ita Patrem juvenis compellat: omnino exiſtimo non eſſe æquum ut quis vim inferat conſcientiæ illius qui ad aliam Religionem deflexerit, & nolentem conetur traducere in contrariam ſententiam. Noli igitur cogere invitum filium tuum, ut tuæ Religioni adhæreat. Nam nec ego te cogo, ut meam Religionem ſequaris, etſi admodum facile ad eam amplectendam te conſtringere poſſem. At pater fide, ait Theodoritus, erga Deum animum ſuum exacuens, περὶ τούτου, ἔφη, ὦ βασιλεῦ, τοῦ ἀλάστορος λέγεις τοῦ θεομισοῦς καὶ τὸ ψεῦδος τῆς ἀληθείας προελομένου; *Igitur, ô Imperator, de hoc nebulone loqueris, de hoc ſcelerato, qui Deo odioſus eſt, & veritati falſitatem antepoſuit?* Tum Iulianus perſonam induens manſuetudinis, (talis enim videri volebat.) Heus tu, inquit, deſine convitiari. Atque

ore

ore ad juvenem converſus, Ego, inquit, tui curam habebo, quandoquidem hoc à Patre tuo impetrare non potui. Sed falſus fuit Tyrannus; nam mox in Perſia cum minis ſuis, quas haud obſcure in Patrem juvenis intentarat occubuit: at magnus iſte vir etiamnum in Eccleſia nobis in ſingulare exemplum zeli prælucet, in quod omnes parentes qui in familia ſua veram Religionem conſervare volunt, intueri debent.

Porro ut officium parentum eſt liberos in veram viam reducere ubi ab ea deflexerint; ita idem officium eſt propinquorum, tutorum & aliorum qui aut per ætatem aut per muneris dignitatem ipſis parentum in pretio eſſe debent. Hi eo facilius imbellis judicii juvenem ad frugem reducent, ubi in calamitatem aliquam inciderit, poſt apoſtaſiam ſuam aut actum ſuperſtitionis vel idololatriæ. Hoc officio ſuo egregiè defunctus fuit Theodoſius *Theod. V. 15.* M. Imperator tunc fere quinquagenarius erga collegam ſuum Valentinianum juniorem adhuc adoleſcentem, cujus antea mentionem fecimus. Cum enim Valentinianus ſuaſu matris ab Orthodoxa Religione deflexiſſet, & à Maximo Tyranno devictus in Illyricum Mediolano profugiſſet; Theodoſius omnino hoc ſibi faciendum pro ſua pietate judicavit, ut eum primum in viam revocaret atque ad veram

ram

ram Religionem reduceret antequam ei ſuppetias ferret in calamitate iſta. Quare ſcribit ad eum; non debere ipſum mirari, quod ipſum, qui ſit Imperator legitimus, metus & fuga, Tyrannum autem uſurpatorem victoria & fortitudo comitentur. Nam Imperatorem armis veram Religionem oppugnaſſe: Tyrannum autem eam defendiſſe. Hinc factum eſſe, ut ille quòd eam abjeciſſet, eâ exarmatus in fugam conjectus ſit: Maximus autem ea armatus Valentinianum illa nudatum devicerit. Veræ Religioni enim Deum favere, utpote qui illius auctor ſit. Hæc ſcripſiſſe non contentus Theodoſius; cum Valentinianus proprio imperio ſic amiſſo illius ditionem ingreſſus eſſet; ante omnia coram verbis ſalutaribus medicinam menti ejus neceſſariam adhibet, & hæreſeos morbum qui eum invaſerat expellit, atque ad paternam Religionem reducit. Deinde hoc facto, bono eſſe animo jubet, contra Tyrannum bellum gerit; ſine ſanguinis effuſione adoleſcenti reſtituit Imperium, ac Tyrannum interficit.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE PRV-

DE PRVDENTIA VETERIS ECCLESIÆ,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De primâ parte prudentiæ Eccleſiaſticæ, quatenus ſpeciatim Principi ſeu Magiſtratui competit, conjunctim conſiderata ſive ſecundum utrumque membrum.

1. *Quantum erga ſubditos fideles & infideles poſſit exemplum Principis hac parte prudentiâ præditi, oſtenditur ex verbo Dei & experientâ veteris Eccleſiæ in filiis Conſtantini Magni, item Valentiniano ac Valente, nec non Theodoſio juniore, Arcadio & Honorio Imperatoribus.* 2. *Duo in eum finem cogitanda principi ex S. Ambroſii & Placillæ Imperatricis conſilio.* 3. *Modus quo circa judicia Dei cogitanda verſari non debeant Principes oſtenditur exemplo Licinii Cæſaris, & obiter Diodori Archiatri apud Auguſtinum.* 4. *Modus verus verſandi circa ea, ex verbo Dei & exēplo Conſtantini Magni.* 5. *Res principum rotæ ſimiles ex narratione Legati Romani ad Chaganum Hunnum.* 6. *Maturè defungendum eſſe principi hac parte prudentiæ,*

experientia infelici Gelimeris Regis Vandalorum & Iuſtini Imperatoris. 7. Corollarium quo oſtenditur quid per conſequens Principi faciendum ſit; quando aliquid ei ſuadetur agendum cum diſpendio aut in præjudicium Veræ Religionis & pietatis, boni publici aut privati cauſa; exemplo inſigni Theodoſii Magni.

1. HActenus de prudentiæ Eccleſiaſticæ prima & nobiliſſima ſpecie, quæ Deum ipſum immediate reſpicit, egimus; quatenus ea omnibus hominibus cujuſcunq; conditionis ſint communis eſt. Sequitur ut agamus de eadem, in quantum ſpeciatim Principi, Magiſtratui, item Epiſcopis ſeu Doctoribus ac Paſtoribus Eccleſiæ convenit. Ac in hoc quidem libro agemus de ea prudentia quatenus ſpeciatim Principi ſeu Magiſtratui competit. Hic obſervanda quædam initio ſunt conjunctim circa utrumque membrum prudentiæ iſtius de qua in præſentiarum agimus, nimirum tam circa zelum veritatis divinæ quam circa zelum ſanctæ & piæ converſationis in Domino. Deinde quēdā ſunt obſervanda ſeorſim & ſigillatim circa duas iſtius prudentiæ partes, quam zeli veræ Religionis nomine deſignavimus. Initio igitur quemadmodum omnibus promiſcue hominibus neceſſaria eſt iſta prudentia ſeu zelus veræ Religionis; ita peculiari

liari quadam ratione ac præcipuè Magiſtratui eſt neceſſaria. Nec enim ſolum ſui cauſa ea prudentia debet eſſe præditus, veramque Religionem amare, hoc eſt, veritatem divinam impenſe amplecti & vitæ pietati ſtudere; ſed etiam populorum cauſa, qui ipſius curæ ſunt commiſſi. Hinc peculiari mandato commendare Dominus voluit ei prudentiam hanc, cum inquit: *Quando Rex inſidebit ſolio Regni ſui, deſcribat ſibi exemplum hujus Legis in libro ex eo qui erit in conſpectu Sacerdotum & Levitarum. Eritque penes eum & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Iehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba Legis hujus, & ſtatuta iſta faciendo. Ne efferatur animus ejus præ fratribus ſuis & ne recedat ab hoc præcepto dextrorſum aut ſiniſtrorſum; ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filii ejus in medio Iſraëlis.* Ideo autem populorum reſpectu neceſſaria eſt ei prudentia iſta; non ſolum quia abſque ea populum Dei recte regere nequaquam poteſt; ſed etiam quia illius exemplum maximam vim habet erga populum, atque eum in ſtudium iſtius prudentiæ, hoc eſt, amorem veritatis & pietatis vehementer pellicere poteſt: quemadmodum contra ubi Rex in ea parte deficit, populus ad ipſius impietatis & profanitatis exemplum ipſe quoque ſe componit. Notum eſt vel pueris tritum proverbium de Regis exemplo, ad quod omnis populus componitur.

Deut. 17. 18. 19. 20.

ponitur. *Morbido capite*, ait Salvianus Maſſilienſis, *nihil ſanum eſt: neque ullum omnino membrum officio ſuo fungitur, ubi quod eſt principale non conſtat.* Quod ſi unquam verum eſt, id profecto de exemplo illius in veræ Religionis ſtudio aut contemtu veriſſimum eſt. Quando Reges Iſraëlis & Iudæ Deum colebant aut rejiciebāt, idem feciſſe populos docet Scriptura ſacra. Hinc peculiariter de Ieroboamo dicitur, quòd peccare fecerit Iſraelem. Et idem teſtatur experientia Eccleſiæ Chriſtianæ veteris; & quidem primo in ea parte veræ Religionis, quæ in veritate divina conſiſtit.

Salvian. lib. 7. de provid.

Vno eodemque tempore una pars Romani Imperii Arianiſmo infecta fuit, nimirum Oriens: altera autem pars, quæ ad Occidentem ſcilicet ſpectat, ab ea peſte immunis fuit. Cauſam reddit Theodoritus hanc veriſſimam, quod ſcilicet eodem tempore, quo Conſtantius Arianus Orienti præerat, Conſtans & Conſtantius filii Conſtantini M. uterque Orthodoxus Occidenti imperabant: & eodem tempore quo Valens Arianus Orientem regebat; frater ejus Valentinianus Orthodoxus, Occidentis habenas moderabatur. Itaque quantum illi Orientem hæreſi fœdabant; tantum hi in Occidente Orthodoxam Eccleſiam fovebant.

Theod. V. 6.

Idem experta eſt Eccleſia vetus quoad prudentiæ

dentiæ hujus partem alteram, quæ in vitæ pietate conſiſtit. Vnum ſaltem exemplum quod *Socr. VII. 22.* haud dubie animæ piæ jucundum erit, & eam movebit ut paria noſtris temporibus ſæpe contingere optet, commemorabo. Theodoſius Iunior, quem paulo ante à Pulcheria ſorore in vero Religionis zelo impenſe inſtitutum diximus, pietatis ſtudioſiſſimus princeps fuit. Is aliquando graviſſima hyeme & quæ ſequenti anno minabatur annonæ difficultatem, quæ jam ante non erat exigua, populo efflagitanti conſueta ſpectacula in circo edebat. Cum jam circus hominibus refertus fuiſſet, tempeſtas cœpit eſſe vehementior. Tunc Imperator perſpicue declaravit (ut Socrates commemorat refero) quo animo erga Deum affectus eſſet. Etenim per præcones populum ſic compellavit: Quin multo ſatius eſt, ut neglecto ſpectaculo omnes uno ore Deum precemur, ut ab ingruente hac procella conſervemur incolumes. Vix hæc verba protulerat, cum omnes in circo uno animorum conſenſu, ſummaque cum alacritate Deo preces fundere cœperunt. Tunc civitas, ait idem, tota quaſi in templum ea ratione commutata fuit. Imperator ipſe privati hominis in modum incedens, hymnorum decantationem exorſus eſt. Nec profectò, ait Socrates, ſpes ipſum fefellit. Nam aëris facies derepente in ſerenita-

tem mutata eſt, & annonæ caritas Dei benignitate in omnium rerum affluentiam ſequẽti anno commutata eſt. Alio quoque tempore ipſi in circo pariter ſedenti & ludos Circenſes peragenti nunciatum fuit Iohannem quendam, qui poſt mortem Imperatoris Honorii Occidentis Imperium per Tyrannidem invaſerat, a copiis ipſius Theodoſii non ſine miraculo oppreſſum ac demum interemtum eſſe. Quo nuncio accepto populum affatur: Agite, inquit, ſi libet relictis his ludicris ſimul ad templum contendamus ac preces Deo offeramus, quibus illi pro Tyranno manu ipſius occiſo gratias agamus. Dictum factum: confeſtim enim omnes relicto ſpectaculo per hippodromum medium una voce Pſalmos Euchariſticos cum Imperatore decantantes rectà ad Eccleſiam ſeſe conferunt, & ibi diem integrum divinis laudibus exigunt. Ex his apparet populis hoc boni ex zelo principis accedere ut non ſolum vero Dei cultui vacent, ſed etiam alacriter & cum gaudio ac mutuò inter ſe de pietate certantes ipſi inſerviant. Quæ quidem res Deo gratiſſima eſt, utpote qui exigit ut cum alacritate & gaudio ſeſe colamus: *Colite Iehovam cum lætitia, venite in conſpectum ejus cum cantu.*

Socr. VII. 23.

Pſal. 100. 2.

Quid quod non ſolum fideles populi Principis talis exemplo ad veram Religionem ſerio

rio colendam incitantur: ſed etiam ex ſubditis illi, qui nondum veræ Religioni addicti ſunt, Magiſtratus zelo atque exemplo ad eam amplectendam permoventur. Cum Abimelechum Regem Gerar aulici infideles viderent timore Dei correptum, ipſi etiam timore ejus affecti ſunt. Scio Abimelechum infidelem Gen. 20.
fuiſſe; interim patet ex eo exemplo, quantum 8.
erga infideles ſubditos poſſit Regis exemplum, ubi ipſe Dei reverentia ducitur. Et experta eſt hoc Eccleſia Chriſtiana tum ſub aliis Imperatoribus Orthodoxis, tum ſpeciatim ſub Arcadio & Honorio filiis Theodoſii M. Etenim *οἱ ὑπήκοοι πρὸς τούτους βλέποντες, ἕλληνες μὲν ῥᾳδίως εἰς χριστιανισμὸν μετέβαλον· αἱρετικοὶ* Sozom.
δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ προσεχώρουν, ait Sozo- VIII. 1.
menus, hoc eſt, *ſubditi ad hos Imperatores reſpicientes Pagani quidem ad Chriſtianiſmum facilius convertebantur; hæretici autem Eccleſiæ Catholicæ accedebant.*

2. Ut autem utramque hanc partem prudentiæ conjunctim conſideratam Princeps eo melius diſcat & fidelius cuſtodiat, duo ipſi cogitanda perpetuò; deinde duo alia ipſi facienda ſunt. Cogitanda quod attinet, *primum* neceſſe eſt, ut rectè de ſe ipſo & dignitate ſua ſentiat: ſecundò ſurſum reſpiciat ac Dei judicia, quæ adverſum Principes exercere ſolet, conſideret. Quantum ipſum concernit; non

debet ſaltem dignitatem poteſtatemque ſuam reſpicere ; nam ſi hoc faciat , continget illi quod S. Ambroſius ad Theodoſium M. ait, Theod. V. 17. ἐπιπροσθεῖ ἡ ἐξουσία τῷ λογισμῷ, *potentia offundit rationi caliginem*, ſeu *eam evertit*. Sed ſimul imo ante omnia perpetuo cogitare debet , quod idem S. Vir ibidem ait, Theodoſium debere conſiderare, nimirum ſe hominem eſſe, adeoque quam fragilis & fluxa natura illius ſit , & ſibi in avitum pulverem, ex quo orti ſumus, revertendum eſſe. Hoc ipſi cogitandum eſt, ut ne purpuræ ſplendore deceptus , corporis, quod ea amictum eſt, imbecillitatem ignoret: ait ibidem Ambroſius. Summa; cogitet Princeps, τὸν ἀσαθῆ καὶ κόθορνον βίον , καὶ τὰς ἀγχιστρόφους παλιῤῥοίας τῆς τῶν ἀνθρώπων ζωῆς, *vitam hanc inconſtantem & cothurno ſimilem , atque repentinos fluxus & refluxus vitæ humanæ*; qua conſideratione motum Mauritium Imperatorem ſcribit Euagrius, lib. VI. cap. 16. ut juniorem Choſroën Regem Perſarum cum uxoribus & duobus tenellis liberis exulem ſuſciperet, omni honore afficeret , & in Regnum ſuum reſtitueret. Dignitatem ipſius quod attinet, ea tantum abeſt, ut ipſum ab amore veræ Religionis pietatiſve avocare , ac contra Deum extollere, & verbo illius rebellem efficere debeat; ut potius eum tanto magis ad amorem veritatis & pietatis , humilitatiſque ſtudium incita-

incitare debeat. Quod enim alios dignitate antecedit homines, id ſingulare Dei beneficium eſt, quo peculiari ratione præ aliis hominibusDeo obſtringitur,ut eum ſerio & ex animo colat,ei ſe approbet, & gratum erga divinam bonitatem oſtendat.Ita Placilla Imperatrix faciendum ſibi putavit, *οὐ γὰρ ἐπῆρεν αὐτὴν τῆς βασιλείας ἡ δυναστεία, ἀλλὰ τὸν θεῖον πλέον ἐπύρσευσε πόθον: non enim ſuperbam eam reddidit faſtigium Imperii, ſed magis iuflammavit eam ad amorum Dei. τῆς γὰρ εὐεργεσίας τὸ μέγεθος μεῖζον τὸ περὶ τὸν δεσπότην εἰργάζετο φίλτρον, Etenim beneficii magnitudo effecit ut ardentius Dominũ à quo Imperium tanquam in feudum acceperat, amaret.* Theod V. 18. Præſertim autem id faciendum illis eſt, qui ex humili aut tenuiore conditione ad dignitatis ſublime faſtigium evecti ſunt. Hos enim ſemper decet cogitare quid olim fuerint, & qui jam ſint; quo ita ſe non ingratos erga Deum declarent, ſed eum rite ſanctéque colant. Atque hoc eſt, quod eadem ſancta Imperatrix marito ſuo ſubinde ſuggerebat, ut ſupra vidimus: *ἀεί σε ὦ ἄνερ προσήκει λογίζεσθαι τί μὲν ἦσθα πάλαι, τί δὲ γέγονας νῦν, ſemper te, mi vir, dicebat illa, oportet cogitare quid olim eras, & quid jam ſis. Iſta aſſiduè animo complectens, non te ingratum oſtendes erga Patronum.* Itaque principis eſt agnoſcere,ſe Dei ſervum ac vaſallum eſſe,adeoque teneri ei debitum obſequium præſtare; prout

à Theodoſio Iuniore factum, de quo tunc adhuc vivente Theodoritus ait: καὶ γὰρ δὴ καὶ οὗτος τὴν δουλείαν ὁμολογεῖ, καὶ τὴν ἁρμόττουσαν τῷ Θεῷ θεραπείαν προσφέρει: *Etenim fatetur ſe Dei famulum eſſe, & convenientem honorem Domino ſuo exhibet.* Hoc unum eſt.

Theod. V. 36.

3. Deinde diximus ei reſpiciendum eſſe quoque ad judicia, quæ Deus exercere ſolet adverſum Principes. In hunc finem ne judicia occulta Dei pertentet, aut ita apud animum ſuum reputet: ſi Deus in futurum hoc vel illud faciat; tunc eum colam, & fervidè veram Religionem amabo ac profitebor; ſin minus Deum deſeram ac veram Religionem ſuſque deque habebo. Quale fuit Licinii Imperatoris propoſitum ac votum; qui cum jam prælium cõtra Conſtantinum Magnum inſtructurus eſſet; aulicos, familiares ac ſatellites ſuos in locum quendam idolorum cultui dicatum convocat; ubi oratione ad ipſos habita invehitur primò in Conſtantinum quod Chriſtianam Religionem amplexus ſit abjecto Paganiſmo, & nunc in aciem prodeat non tam contra ipſum, quam contra Deos, quorum cultum prodiderit. Deinde ſubjicit, nunc manifeſtum futurum, anne Conſt. M. an vero ipſe veram Religionem habeat. Et tandem promittit ſe, ſiquidem à Conſtantini Deo vincatur, eum quoque culturum. Aut enim, inquit,

Euſeb. vi. Conſt. l. 2. c. 5.

quit, nos victores erimus, & ſic jure optimo noſtri Dii ſervatores & opitulatores veri exiſtimari debent; aut ſi hic Conſtantini Deus noſtros, cùm plurimi ſint, idque numero & multitudine ſup eriores, devincat, nemo de reliquo vocet in controverſiam, quem tandem Deum venerari oporteat: ſed vincenti ſe addicat, & illi præmia offerat victoriæ debita. Quod ſi peregrinus ille Deus, qui jam eſt à nobis ludibrio habitus, ſuperior in prælio exiſtat, δεῖ καὶ ἡμᾶς αὐτὸν γνωρίζειν τε καὶ τιμᾶν, *decet & nos ipſum agnoſcere & colere* (vides eum utramque partem veræ Religionis vovere) & ita longum vale dicere his, quibus cereos fruſtra accendimus. Verum ſi noſtri potiantur victoria, quod dubium non eſt, poſt victoriã hoc loco partam, contra atheos illos (Chriſtianos intelligit) porro ſuſcipiendum nos comparabimus. Ita tunc Licinius; cujus verba retulerunt Euſebio, qui propriis ſuis auribus ex Tyranni ore ea hauſerant. Et tamen, ut hoc obiter addam, Tyrannus promiſſo non ſtetit: nam à Conſtantino M. victus in idololatria permanſit; nihil mutatus, quam quod, quia viderat priores Deos non ſatis virium contra Conſtantini Deum habere, alios hinc inde in Imperio Romano, quos potuit conquiſivit Deos, atque ita bellum violatis pacis conditionibus redintegravit, in quo captus

ptus ſupplicio extremo à Conſt. M. affectus fuit. Hoc factum Licinii imitatus Auguſtini tempore fuit Dioſcorus Medicus Ethnicus. Cum enim ipſius filia unica extraordinariè ægrotaret, vovit ſe Chriſtianum fore, ſi illa valetudinem recuperaret. Convaluit illa. *At ille quod voverat, diſſimulabat exolvere. Mox repentina*
August. Epiſt. 57. *cæcitate ſuffunditur, ſtatimque venit in mentem*, ait Auguſtinus, *unde illud eſſet: exclamavit confitens, atque iterum vovit, ſe recepto lumine impleturum eſſe quod voverat. Recepit, implevit.* Non tamen ex animo implevit votum. Noluit enim Symbolum Apoſtolicum recitare de more eorum, qui ad Chriſtianam Religionem accedebant, adeoque noluit fidei ſuæ confeſſionem edere eo prætextu, quod id non poſſet ob ſenium (erat enim ſatis ſenex) ediſcere. Quid fit? *In paralyſin ſolvitur multis ac pene omnibus membris etiam lingua. Tunc ſomno admonitus confitetur per ſcripturam, ob hoc ſibi dictum eſſe accidiſſe, quod Symbolum non reddiderit. Poſt illam confeſſionem redduntur officia omnia membrorum niſi linguæ ſolius: ſe tamen didiciſſe Symbolum idque memoria jam tenere nihilominus in ea tentatione literis faſſus eſt.* Non ita faciendum Principi. Nam quemadmodũ vota Deo vovere licet pia, ſiquidem noſtris conatibus benedicat: ita non minus adverſo quam proſpero ſtatu firmum nobis debet ſtare propoſitum Deo inſerviendi.

4. Talia

4. Talia igitur ſecreta judicia Dei & futuri eventus pertentandi principi non ſunt; nec illis officium ſuum metiri debet: prout, proh dolor, ſæpe fit ab iis qui Religionis veritatem ſuumque officium erga Deum ex eventu ſuorum deſideriorum ſuſpendunt, & ideo à vera Religione ad falſam deficiunt. Sed reſpiciendum eſt ei ad judicia præterita Dei quæ exercuit omnibus temporibus adverſum Principes, qui verum Dei cultum, aut neglexerunt, aut reſpuerunt, aut denique impediverunt. Horum judiciorum conſideratione Conſtantinus Magnus ad Religionem Chriſtianam amplectendam impulſus fuit. Cum enim apud animum ſuum accuratè expenderet eos omnes in varias clades atque exitia incidiſſe, qui Religionem Chriſtianam perſequuti erant, ὡς μηδὲ γένος μηδὲ φυὴν, μηδὲ ῥίζαν αὐτοῖς, μηδ' ὄνομα, μηδὲ μνήμην ἐν ἀνθρώποις ἀπολειφθῆναι, *ut neq; generis ipſorum nec ſobolis, nec ſtirpis, nec nominis nec memoriæ vel veſtigium quidem inter homines ſupereſſet*: Cum, inquam, omnia iſta mente reputaſſet ſua, dementiæ eſſe putavit Deorum cultum ſectari; & ſolum verũ Deum obſervandum ſibi colendumque ſtatuit, ait Euſeb. *Euſeb. vit. Conſt. l. 21.* Cogitet igitur Princeps perpetuo, *dominari Altiſſimũ in regno hominum, & cui vult dare illud.* *Dan. 4. 28.* Ipſe enim eſt, qui *vindemiat Spiritum Principũ, qui formidabilis eſt Regibus terræ.* *Pſal. 78. 13.* Hinc fit ut *unus*

è car-

Eccl. 4. 14. *è carcere ad regnum evehatur; alius autem in ſuo regno natus in paupertatem reducatur*, ait Salomon.

5. Adeoque ex ejus ſemper juſto judicio res Regum ac Principum rotæ ſimiles ſunt, cujus modo ſuperiores partes deprimuntur, modo inferiores extolluntur. Quod cum ad animum ſuum revocaſſet Chaganus Hunnus, qui ſub Mauritio Imperium pro lubitu depopulabatur, ſuperbiam aliquantum poſuit. Miſerat Priſcus Romani exercitus dux Theodorum medicum virum cordatum, ſagacitate & prudentia inſignem ad Chaganum. Ibi Barbarus fremere & ſuperbire ac verborum faſtu adeo inſultare Romanis, ut ſe nationum omnium dominum eſſe jactaret. Theodorus tunc ad eum: audi Chagane, inquit, veterem & utilem orationem. Seſoſtus Ægyptiorum Rex plurimas & maximas ſibi nationes ſubjecerat. Ea felicitate elatus, currum aureum pretioſis lapidibus radiantem fieri fecit. In quo à quatuor ex devictis Regibus jugo illis impoſito trahebatur. Hoc cum ſæpius fieret, & ſolenni quodam feſtoque die unus ex quatuor Regibus oculis converſis ſubinde retroſpiceret, ac rotæ volubilitatem intueretur, Seſoſtuſque eum, cur oculos tam frequenter in rotam conjiceret, percunctaretur; reſpondiſſe fertur: Cùm ſtupore admiror rotam adeo inſtabili motu volvi, & nunc quidem ſublimia

Niceph. Call. XVIII. 29.

demit-

demittere, rurſus autem demiſſa extollere. Seſoſtus ubi id dictum intellexit, ſtatuit ne poſthac illi currum traherent. Hac Theodori narratione Barbaricus Chagani tumor ſubſidit, atque depreſſus eſt, adeo ut amicè cum Priſco tranſigeret. *Nunc ergo Reges animadvertite; eruditionem ſuſcipite judices terræ. Servite Domino cum timore, & gaudete cum tremore.* *Pſal. 2. 10. 11.*

6. Hæc igitur Princeps, & quicunque in eminenti gradu eſt conſtitutus conſiderare debet, adeoque nequaquam pati aut ſplendore aut adulatione aulicâ ſibi oculos præſtringi & mentē faſcinari. Sed hîc obſervet ut maturè atque in tempore ea conſideret. Quod nî fecerit magno ſuo malo & nimis ſero veritatem harum rerum agnoſcere tandem cogetur: quemadmodum rei hujus exempla vetus Eccleſia oculis ſuis uſurpavit. Gilimer Vandalorum Rex hoſtis erat Romani Imperii; tandem in bello captus à Beliſſario duce Iuſtiniani Imperatoris & Conſtantinopolin in triumphum ductus, cum in circo humi projectus cubaret ante ſedem Imperatoris tunc præſentis, velut è longo veterno excitatus, in id divinum Salomonis verbum Vandalico ſermone erupit: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* *Evagr. IV. 17.*

Idem ſero etiam nimis agnovit Iuſtinus Imperator poſtquam voluptatibus, luxuria & impieta-

Euagr. V. 13. impietate ſua calamitates publicas Imperio & privatas ſibi attraxiſſet, tandem in phreneſin incidiſſet, gubernando Imperio amplius nullo modo idoneus eſſet, adeoque de conſilio Sophiæ conjugis & neceſſitate imperante Tiberium Cæſarem declararet. In quo ſolenni actu talia verba habuit, qualia à nulla (ſunt verba Euagrii) hiſtoria ſeu vetere,ſeu recente ſunt commemorata: Deo videlicet ei tempus concedente ut & peccata ſua confiteretur, & ea tunc perageret, quæ ex utilitate Reip. forent. Cum enim Iohannes Epiſcopus cum ſuis,nec non proceres Reipublicæ, & milites prętoriani in atrio ſub dio,ubi talia ſolenniter ex veteri more gerebantur,congregati eſſent, Iuſtinus Tiberium tunica induens & chlamide Imperatoria, ſic clara voce allocutus eſt: Ne te decipiat imaginatio purpurę,nec ſplendor ſcenicus eorum,quæ jam peraguntur,quibus ipſe deceptus imprudens meipſum in graviſſimas miſerias conjeci. Corrige errata mea, & ea qua par eſt ratione Rempublicam adminiſtra. Et principes atque primores digito monſtrans: *Noli*,inquit,*horum conſiliis morem gerere*; *nam hi me in has quas cernis miſerias conjecere*: aliaque ejus generis protulit verba, quæ omnes obſtupefecere, & lacrymarum vim profundere coëgerunt.

7. Quare quotieſcunque Principi aliquid ſuade-

ſuadetur prætextu boni publici aut privati, ut fieri ſolet, quod veræ Religioni ac verbo Dei re ipſa repugnet; ſciat præſtare ut quidvis potius adverſi ſibi eveniat, quam ut Deum ſpe boni publici aut privati offendat. Atque in ea re proponat ſibi memorabile & nunquam ſatis laudatum exemplum Theodoſii Magni. Is ſacrificia Ethnicorum & cultum Dæmonum, tum alibi tum in Ægypto ſub pœna capitis & confiſcationis bonorum interdixerat. Eo ipſo anno Nilus ſolito tardius aſcenderat adeoque ſterilitatem minabatur provinciæ. Id Ægyptii imputabant interdicto Imperatoris, & indignabantur quod non liceret ſibi ſecundum leges patrias fluvio ſacrificare. Animadvertens gentis præfectus, eos ad ſeditionem ſpectare, Imperatorem de ea re edocet. Non quærebatur & poſtulabatur ab Imperatore, ut ipſe Nilo immolaret, ſed ut ad actum idololatriæ conniveret. At ille: ἄμεινον, inquit, πρὸς τὸ θεῖον διαμεῖναι πιστὸν, ἢ τὰ Νείλου νάματα καὶ τὴν ἐντεῦθεν εὐετηρίαν προτιμῆσαι τῆς εὐσεβείας. μηδέποτε γὰρ ῥεύσειεν ὁ ποταμὸς, εἴπερ ἀληθῶς οἰόντε ἐστὶ γοητείαις ὑπάγεσθαι καὶ θυσίαις χαίρειν. *Præſtat*, inquit, *erga Deum manere fidelem, quam fluenta Nili, & ex iis expectatam anni fertilitatem præpoſuiſſe pietati. Imò malim ut nunquam fluat, ſiquidem revera excantationibus pellicitur & ſacrificiis delectatur.* Ita prætextu boni publici no- *Sozom. VII. 20.*

K luit

luit Theodoſius quicquam admittere Religione vera pietateque indignum. Ita faciendum eſt unicuique pio principi; idque eo magis, quod ſi maximè Deum offenderit ſub ſpe boni conſequēdi, & in veram Religionem ob eam cauſam impegerit, tamen nondum ſibi bonum illud ſeu publicum, ſeu privatum promittere poteſt. Nam & rerum ſtatus, & animi hominum mutari, adeoque impedimenta intervenire poſſunt, quibus fit ut bonum ſperatum non conſequatur; poſtquam impiè egit. Aut ubi id conſecutus fuit; fieri poteſt ut ipſe eo bono non frui queat, morte præventus vel alio incommodo affectus. Aut ſi bono iſto fruitur, Deus alia eum parte atque ratione mulctabit, & calamitatem immittet gravem, ex qua majus detrimentum ad eum redit, quàm utilitatis ex bono iſto acceſſit. In ſumma Deus juſtus Iudex eſt; nec ei unquam media aut modi deſunt contemtum ſui vindicandi.

Quod magis eſt, annon præſtat ut princeps caveat ſibi ab offenſa Numinis, in zelo veræ Religionis & pietatis firmiter permaneat, & benè agendo à Domini gratia & liberalitate expectet illud bonum; quod ipſi cum injuria Domini & illius indignatione homines offerunt. Sciendum quippe eſt; nullum bonum privatum vel publicum aut in falſa Religione

aut alioquin in violatione veræ Religionis & offenſa Dei à quoquam promitti vel expectari poſſe; quod non etiam idque multo magis, multo verius, multo conſtantius, multo melius in vera Religione ac pietate illiuſque zelo aliquis conſequi poſſit. Poſſemus hoc longa inductione exemplorum & experientia, tam ex Scriptura ſacra quam ex antiquitate Eccleſiaſtica oſtendere. Sed brevitatis cauſa ſufficiat in præſentiarum noſſe, *pietatem eſſe ad omnia utilem, & habere promiſſionem non ſolum vitæ præſentis, ſed etiam vitæ futuræ.* 1. Tim. 4. 8. Ac ſi quis exemplum deſideret, ne longè abeamus, ſed modo allato contenti ſimus. Etenim ànne pejus habuit aut Theodoſius Magnus, aut Reſpublica Romana, quod noluit permittere Ægyptiis ſacrificia Nilo offerenda? Exiſtimabant Gentiles, imo ſuſpicabantur etiam ex Chriſtianis multi, pietatem iſtam Theodoſii magno conſtituràm Reipublicæ; Nilum in ſuis alveis ſubſtiturum; adeoque nihil aliud quam ſterilitatem Ægypto imminere. At quid contigit? Oſtendit tunc Deus in pietate & veræ Religionis obſervantia haberi poſſe abundantiſſimè & plus quam ordinariè expectabatur, quod non putabatur vel mediocriter haberi poſſe niſi ea violaretur. Etenim Nilus haud multo poſt largiſſimè effuſus, adeo intumuit, ut Ægyptii in contrarium timorem conjecti me-

Sozom. VII. 20.

 tuerent,

tuerent, ne fluvio mergerentur. Vnde factum ut ipſi Alexandrini Pagani Deos ſuos ludibrio haberent, ac in theatris exclamarent; Nilum ſuum, quem inter cæteros Deos venerabantur, præ ſenio ac delirio *ἐξουρῆσαι mingendo emiſiſſe omne id quod in ſe humoris habuiſſet*; adeoque ad Chriſtianiſmum ſeſe converterent. Simile quiddam circa eundem fluvium contigerat antea ſub Conſtantino Magno. Cum enim & ipſe ſacrificia Nilo offerri vetuiſſet, *ὑπέλαβον οἱ δεισιδαίμονες μηκέτι τὸν ποταμὸν ῥεύσειν αὐτοῖς συνήθως, ſuperſtitioſi metuebant, ut fluvius in poſterũ pro conſuetudine ſua in agros efflueret*. At vero *πᾶν τοὐναντίον ἢ προσεδόκησαν Θεὸς τῷ βασιλέως συμπράττων νόμῳ κατειργάζετο, plane contrarium quam illi putarant Deus Imperatoris piæ legi favens effecit.* Nam fluvius *ὡσανεὶ καθαρθείσης αὐτῷ τῆς χώρας, ἐφέρετο οἷος οὐδέποτε, ἀνέβαινε πλουσίῳ τῷ ῥεύματι, πάσας ἐπικλύζων τὰς ἀρούρας, tanquam repurgata ab Imperatore expiataque terra, majore quam antea abundantia ſeſe effudit, & omnes agros quaqua verſum irrigavit, re ipſa docens, δεῖν μόνῳ τῷ παντὸς ἀγαθοῦ δοτῆρι τὴν τῶν καλῶν ἀνατιθέναι αἰτίαν, ſoli omnis boni datori Deo cauſam omnium bonorum adſcribendam eſſe*, ait Euſebius.

Euſeb. Vit. Conſt. Iv.30.

Itaque caveat ſibi princeps ne quicquam contra veram Religionem ac pietatem admittat, ſpe boni privati aut publici adipiſcendi: Sed Deo ardenti cum zelo adhæreat, &

rectè faciendo expectet bonum iſtud, quod ipſi à mundo cum pietatis diſpendio & offenſione Dei offertur: certò perſuaſus ſe id ipſum bonum imo longè majora in reverentia numinis conſequi poſſe, & certo conſequuturum ſi id ei expediat. Si autem id non conſequatur; ſciat verum bonum felicitatemque in eo non conſiſtere; & infinities ei meliorem eſſe divinæ gratiæ poſſeſſionem, quam omnia hujus mundi regna; ac præſtare ut illo bono careat & Deum non offendat; quam ut illud cum indignatione ipſius poſſideat. Idem etiam aliis quibuſcunque hominibus eſt obſervandum; ſed, ut dixi, peculiari modo ad principem pertinet, utpote cui ſæpe conſilia in Religionis præjudicium ſeſe offerunt.

Caput II.

Conſilium prius prudentiæ Eccleſiaſticæ circa ea, quæ facienda ſunt Principi in hac parte prudentiæ.

1. Principem in fœdere cum infidelibus ineundo ſibi cavere debere ab inſidiis, quæ ea occaſione veræ Religioni ſtrui ſolent. 2. Experientia veteris Eccleſiæ in Gothorum Ducibus & gente tota per eam occaſionem ſeducta.

1. VIdimus duo illa quæ principi perpetuo cogitanda ſunt: videamus quænam ſint illa duo, quæ ipſi facienda eſſe diximus, ſi veræ Religionis zelum amoremque firmiter cuſtodire ſibi, familiæ, totique Reip. & Eccleſiæ cupit. Primo igitur prudenter agat in fœderibus conciliandis, & amicitia cum aliis principibus ſancienda. In hac enim parte ſemper præferat Orthodoxos infidelibus, & cum illis potius quam cum his fœdera ineat. Aut ſi cum infidelibus fœdus iniit, caveat ſibi à periculo quod cum tali fœdere conjunctum eſt. Etenim fœderatus princeps infidelis ſi æque potens, magis autem ſi potentior ſit, maximè vero ſi fidelis ope ipſius carere non poſſe videatur, conabitur nonnunquam eum impellere, ut quid per ſocietatem faciat, quod veræ Religioni adverſum ſit & noxium. Sollicitabit eum ſub prætextu aliquo politico ut ſecum arma ſua jungat contra fideles, quos opprimere vult; aut ſaltem aſtu hoc ab ipſo obtinere conabitur ut oppreſſis opem non ferat; aut ſuadebit ei ut aliud aliquid in præjudicium Religionis & Eccleſiæ faciat, vel fieri ſinat. Imo quod magis eſt, interdum hoc aget, ut eum ad apoſtaſiam pelliciat. Idque faciet impulſus à ſuis ſacerdotibus, qui hanc occaſionem res ſuas agendi nequaquam prætermittent, Itaque ſuggerent ipſi conſultum eſſe ut

fidelem ad apoſtaſiam impellat ; & ut illud potentior princeps infidelis à fideli impetrare poſſit ; ſuadebunt ei ut hoc argumento utatur erga fidelem atque Orthodoxum principem;ſe hoc non quærere ab eo aut ei ſuadere mutationem Religionis , quàm deſiderio amicitię majoris & arctioris firmandæ cauſa. Nam Religionis conſenſu amicitiam ipſorum longè firmiorem fore. Princeps infidelis ut cupidus eſt promovere pro viribus Religionem ſuam , non improbabit hoc conſilium. Pertentabit igitur occaſione oblata Orthodoxi principis animum , quē ſi videt reſiſtentem , conabitur pollicitis aut pretio corrumpere unum aut alterum ex iis qui plurimum apud Principem poſſunt ; præſertim autem videbit cum ſuis , ut in ſocietatem peſtilentiſſimi conſilii trahat ex Paſtoribus & Theologis eum,qui in auctoritate apud ipſum principem eſt conſtitutus. Hic ubi corruptus auro eſt perſuadere principi negotium conabitur, uſus verbi gratia hoc argumento ; non eſſe tantam differentiam Religionis utriuſque; eſſe meram λογομαχίαν ; aut alio modo controverſias partium extenuabit.Hac ratione Princeps aliuſve Magiſtratus interdum facilimè ſeducitur à vera Religione ad falſam adeoque à pietate ad impietatem (nam extra verā Religionem pietas nulla eſt) à Deo ad Diabolum

deficit, ac Religionem Orthodoxam in Regno, principatu, Republica ſua oppugnare aggreditur.

2. Me non fingere caſum ex ſuſpicione, ſed de vero periculo, & de aſtutia hoſtium Eccleſiæ præmonere principem ac Magiſtratum; docet experientia veteris Eccesiæ. Alii viderint, an Eccleſia temporum ultimorum
Theod. IV. 32. idem experta ſit? Gothi, fortiſſima & Orthodoxa gens, cum Iſtrum transmiſiſſent, pacis fœdera cum Valente Imperatore Ariano junxerant. Aderat Valenti Eudoxius Arianus Epiſcopus homo nequiſſimus & aſtutiſſimus, qui Valenti ſuggerit ut ea occaſione Gothos inducat ad Arianæ Eccleſiæ communionem; βεβαιοτέραν γὰρ, ἔφη, τὸ κοινὸν τοῦ φρονήματος τὴν εἰρήνην ἐργάσεται: *Etenim conſenſus in Religione firmiorem amicitiam efficiet.* Valens approbat hoc conſilium, & Gotthorum ducibus Religionis conſenſum ineundum proponit. Qui reſponderunt, ſe nullo modo deſerere velle Religionem, quam à parentibus accepiſſent. Eodem tempore Epiſcopum habebant Vlphilam, magnæ apud ipſos auctoritatis; adeo ut ejus verba tantum non pro legibus haberent, quas refigere non liceret. Hunc nebulo ille Eudoxius partim verborum lenociniis delinit, partim pecuniis corrumpit. Qua ratione perfecit ut Vlphilas Gotthos ad communionem

nem Arianæ ſectæ amplectendam induceret. Succeſſit enim ſcelerata molitio, & gens tota cum ducibus ſuis in Arianæ ſectæ communionem venit. Vſus autem fuit Vlphilas inſtinctu Eudoxii hoc argumento ad Gotthos ſuos, οὐκ εἶναι δογμάτων διαφορὰν, ἀλλὰ ματαίαν ἔριν ἐργάσασθαι τὴν διάστασιν, *nullam eſſe in doctrinâ diſcrepantiam, ſed ex inani contentione & vitiligio verborum iſtam diſcordiam invectam in Eccleſiam fuiſſe.* Tanti conſtitit toti Gotthorum genti fœdus cum Valente initum. Quod ſi igitur Princeps cum toto regno aut Republica occaſione ea à vera Religione ac timore Domini avelli poteſt: certe multo facilius in cætera mala, quæ dixi, incidere poteſt; hoc eſt, induci ut aut Orthodoxis oppreſſis opem non ferat, aut perſecutori in oppreſſione ipſorum ſub prætextu politico & vi fœderis ſeſe conjungat. De his igitur periculis monitus princeps eo cautius in fœdere cum infidelibus ineundo & pace atque amicitia ſancienda aget, atque inſidias, quæ ea occaſione in negocio Religionis ſtrui ſolent facilè per Dei gratiam evitabit.

Capvt III.

Alterum quod Principi in hoc genere faciendum eſt; nimirum ut aulicos & miniſtros habeat zelo veræ Religionis præditos.

1. Viros zelo veræ Religionis pietatiſque præditos, Principi fideliſſimos eſſe oſtenditur. Conſtantini M. de ea re judicium. 2. Quantum viri tales Reip. toti proſint, ex eo oſtenditur quod ſæpe vel unus talis Remp. totam Dei beneficio conſervat. Experientia veteris Eccleſiæ in Anatolio & Euſebio Alexandrinis. 3. In Moſe Sarazeno viro Chriſtiano & Sancto. 4. In Iacobo Niſibidis Epiſcopo. 5. In Eunomio Epiſcopo Theodoſiæ. 6. Ethnicorum etiam Imperatorum de talibus viris judiciū. 7. Quantum ſibi noccant Principes, qui horum miniſterio carent, experientia Imperatorum quorundam oſtenditur.

1. HOc unum eſt ex duobus illis, quę Principi in hac parte prudentiæ facienda eſſe diximus. Secundò, ſi princeps veram Religionem pietatemque ſibi, familiæ, toti Eccleſiæ & Reipublicæ cuſtodire cupit: operam det ut circũ ſe, hoc eſt, in aula habeat, & ad reliqua miniſteria extra aulam in Reipublicæ gubernatione adhibeat homines veræ Religionis

gionis zelum habentes, adeoque tum veritatis Orthodoxæ, tum pietatis ac timoris Domini ſtudioſiſſimos. Contra vero procul à ſe arceat hæc duo genera hominum, nimirum primò homines leves ac inconſtantes in vera Religione: ſecundò ſimulatores, hoc eſt, eos qui cum falſam Religionem, hæreſin, idololatriam animo foveant; tamen veram Religionem ficté profitentur. Poſſet etiam prius genus referri ad ſimulatores; quia qui leves & inconſtantes ſunt in vera Religione eam non verè & ex animo ſed ſimulate & hypocritice ut plurimum profitentur. Sed nos hic ſimulatorum nomen ſtrictius ſumimus pro exquiſito illo impoſtorum & monſtroſiſſimorum hominum genere quod indicavimus. Hic quod diximus cavere ſibi principem à ſimulatoribus iis debere, durius quibuſdam videbitur fortaſſe dictum; ideo quod difficilimum ſit noſſe animum hominis abſconditum, adeoque ſimulatorem cognoſcere. Sed nos capitibus quinto & ſexto proferemus experientiam Eccleſiæ veteris, quæ in ea parte nos juvare poterit plurimum. Ideo autem experientiam illius circa id negocium proferemus, quia plurimum intereſt non Principi ſolum, ſed etiam omnibus hominibus noſſe peſtilentiſſima talia monſtra. Hoc capite ſufficiet nobis oſtendere Principi (quo nomine etiam quoſ-

quoſcunque Magiſtratus in eminentiore gradu Reipublicæ ſuæ conſtitutos intelligo, utpote quorum plurimum intereſt collegas aut inferiores ſub ſe dignitatis homines in Reip. adminiſtratione habere, qui ſimulatores in negocio Religionis non ſint) operam dandam eſſe, ut circum ſe habeat & alioquin ad ſua negocia adhibeat viros veræ Religionis ac pietatis zelo præditos. Hi enim non ſolum ſuis conſiliis ac piis ſuggeſtionibus, ſed etiam exemplis zelum veræ Religionis pietatisque in animo Principis alent, atq; efficient ut ne Princeps quid ſuſcipiat aut decernat quod in præjudicium veræ Religionis ac pietatis cedere poſſit. Eoque magis Princeps operam dabit, ut talibus viris utatur; quia illi Principi primò maximè fideles ſunt miniſtri. Retinet enim eos Dei timor in officio, atque efficit quominus ab amore & fide diſcedant, quam ut principi ſuo præſtent vera Religio ab ipſis poſtulat. Ideo Conſtantinus Magnus cum Imperatores Ethnici, qui Eccleſiam perſequuti fuerant, τῶν βασιλικῶν οἴκων ἐξήλαυνον
Euſeb. vit. Conſt. M. l. III. c. 1. τοὺς θεοσεβεῖς ἄνδρας, αὐτὸς μάλιστα τούτοις διετέλει θαῤῥῶν, τοὺς δ᾽ ὄντας αὐτῷ καὶ πιστοὺς ἁπάντων μᾶλλον τούτους εἶναι γινώσκων, *aulis ſuis ejicerent viros pios, ipſe maximè iis & conſtanter fidebat; quod eos præ aliis ſibi longè benevolentiores & fideliores eſſe noſſet*, ut Euſebius refert.

2. Dein-

2. Deinde ſunt in cæteris utiliſſimi Principi ac toti Reip. adeo ut ob paucos imò interdum ob unum tota Reſp. præſentiſſimo periculo eripiatur. Ob decem viros pios Dominus Sodomam conſervaturus fuiſſet, ſi in ea reperti fuiſſent. Quod magis eſt, judicium ſuum adverſus eam exequi noluit, quamdiu in via Lothus & nondum in tuto conſtitutus erat: *Non potero facere quicquam, uſque dum perveneris in Zohar.* Vnus & alter vir veræ Religioni & pietati ex animo addictus, Alexandrinam civitatem à Romanis obſeſſam famis periculo præſentiſſimo eripuit, & infinitam hominum turbam in vita conſervavit. Pars civitatis per rebellionem à Romanis ſeceſſerat: altera civitatis pars in obſequio permanſerat. Illa obſeſſa erat, hæc cum obſidentibus arma ſua conjunxerat. Obſeſſa civitas fame premebatur ingenti, atque magis urgebatur quam impetu hoſtium. Anatolius Epiſcopus Eccleſiam tunc regebat, quam Dominus ex gentibus ibi collegerat. Hic cum multis Chriſtianis in obſeſſa parte verſabatur. Euſebius vero Alexandrinus quoq; genere (qui poſtea Laodicenſis Epiſcopus fuit, & ſub Diocletiano floruit) Chriſtianæ Religioni ac pietati ex animo addictus in altera adeoque libera urbis parte agebat: eratque in auctoritate conſtitutus etiam apud Romani exercitus ducem. Is

Gen. 18. 32. & c. 19. 22.

Euſeb. VII. c. 26. λβ'

cum-

cum ab Anatolio Epiſcopo de calamitate concivium edoctus eſſet, conſilium capit, quo efficeret ne fame perirent, & ut periculo eriperentur. Adit Romani exercitus Ducem, & diſſimulata neceſſitate urbis ac ſuo ſcopo, rogat eum ut illis qui ex obſeſſis ſponte ſua ſe ei dederent, vitam ac ſalutem daret. Quod quidem nullo negocio cum impetraſſet, rem Anatolio ſignificat. Hic nuncio iſto accepto in Senatu Alexandrino comparet, ac diſſimulatis illis, quæ clanculum cum Euſebio egerat, ſuadet primum ut Romanorum amicitiam indignationi ipſorum præponant. Quo quidem ſermone cum illos graviter commotos videret; at huic, inquit, quod jam dicam vos neutiquam refragaturos arbitror. Sunt in urbe innumeri bello nequaquam idonei, anus dico, infantes, ſenes; quibus ubi abſumſerint ſi quid reliquum eſt annonæ, atque illud præripuerint illis, qui ad bellum ſunt idonei, fame erit pereundum ante ora veſtra. Hos neceſſum eſt igitur urbe excedere: ita enim & ipſi conſervabuntur, & diutius Romanis reſiſti poterit. Annuit orationi Senatus ac in ejus ſententiam pedibus diſcedit. Hoc modo effecit, ut fere omnes qui obſidione cingebãtur incolumes ſervarentur. Etenim non ſolum urbe exceſſerunt illi quibus poteſtas exeundi decreto Senatus facta erat; verum etiam

eo prætextu infiniti alii habitu muliebri aut alia arte clanculum evaſerunt. Quod ut eo melius fieri poſſet, effecit Anatolius ut non interdiu ſed noctu portis egrederentur. Ac tunc operam dedit Anatolius, ut ἐν πρώτοις τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, *ante omnes & primò Chriſtianæ Eccleſiæ membra*, poſtea etiam Paganos in tuto collocaret. Vbi ad exercitum perveniſſent; præſto fuit Euſebius, qui ipſos benigne excipiens more Patris aut medici longa obſidione debilitatos refecit, & in integrum omni cura reſtituit.

3. Sub Valente Imperatore unius viri ſancti & pii occaſione, graviſſimum bellum quod adverſus Romanum Imperium ſuſceptum erat, extinctum fuit. Defecerant Saraceni tunc à Romano Imperio, & bellum ei duce Regina ſua, cui Maviæ nomen erat, intulerant: idque tempore ſibi maximè opportuno, quo Gotthi arma ſtrinxerant contra Imperatorem, & Thraciam depopulabantur. Itaque omnes Romanorum provinciæ (ſunt verba Socratis) verſus Orientem illo tempore penitus fuiſſent à Saracenis vaſtatæ, niſi illorum conatus divina providentia repreſſi fuiſſent. Occaſio autem talis fuit. Moſes quidam genere Saracenus, qui in ſolitudine vitam agebat, ob eximiam pietatem, conſtantiam, fidem & miracula ab eo edita fama atque ſermone omnium

Socr. IV. 29. λϛ'.

cele-

celebris erat. Iſtum Mavia Saracenorum Regina ſuæ gentis Epiſcopum deſignari à Romanis poſtulat: atque ea lege ſe à bello ceſſaturum, fœderaque cum illis & pacem inituram pollicetur. Dictum factum, adeoque unius illius Viri pii occaſione incendium graviſſimum extinctum fuit.

Theod. II. 30. 4. Regnante Conſtantio Imperatore, Niſibis urbs, quam nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellant in finibus Romani & Perſici Imperii poſitam, à Perſis acri obſidione premebatur. Erat Iacobus ejus Eccleſiæ Epiſcopus Orthodoxus, vitæ ſanctitate inſignis. Qui cum mœnium pars hoſtilibus machinis ac laboribus (nam flumē obſtructum in mœnia tandem emiſerant) jam dejecta eſſet, adeo ut nihil reſtaret quam ut per rupturam agmina hoſtilia impetum in cives facerent, precibus ardentibus quibus in templo defungebatur, adeo civium & militum animos confirmavit, ut cum poſtridie urbem Sapores invaſurus eſſet, murum de integro ædificatum cōtra omnem opinionem videret. Poſtea turrim conſcendit Iacobus, ac cum videret ingentem hoſtium multitudinem, Deum precatur ut cyniphes ac culices in hoſtes immitteret; uti minutarum beſtiolarum morſu potentiam Ieſu Chriſti agnoſcerent. Ibi tum cognitum, quam verum ſit quod Apoſtolus dicit: *Multum*

tum valet precatio juſti efficax. Statim enim cyniphum & culicum examina tanquam nubes Perſarum copiis circumfunduntur,atque tum Elephantorum proboſcidas tum equorum & aliorum jumentorum aures nareſque complent. Quæ cum beſtiolarum morſum ferre non poſſent,frena rumpere,ſeſſores excutere, aciem turbare; ac tandem relicto exercitu fugere quantum poſſunt. Ita Sapores cum fruſtra obſidionem tentaſſet,ignominioſe diſceſſit: poſtquam ante præ extrema rabie telum in aërem contra Deum ejaculatus eſſet.

5. Sub Theodoſio juniore Perſæ Duce *Theod. r.* Gororane Theodoſiam urbem obſederant. 36. Ejus urbis Epiſcopus erat Orthodoxus & ſanctitate vitæ conſpicuus Eunomius. Hujus unius fide ac pietate Deus urbē à vi hoſtili liberavit. Cum enim quidam ex Regulis Barbaris blaſphemias in Deum jaciens verba execrabilia in modum Rabſacis & Senacheribi fudiſſet: Sanctus ille vir hæc audiens,jubet baliſtam excuti in nomine ejus, quem Barbarus ille blaſphemiis petierat. Lapis igitur directè in Regulum delatus,& in nefarium os ejus impactus, caput illius comminuit, & cerebrum humi diſperſit. Quod conſpicatus Gororanes (aſtabat enim & verba blaſphema audierat) ſpectaculo eo territus obſidionem ſolvit, & pacem cum Romanis iniit. Tantum poteſt

nonnunquam vel unius viri ſancto zelo prædit pietas: quantum igitur poterit Princeps, qui talium multitudinem circum ſe & in negociis ſuis occupat. Dico nonnunquam illud poſſe vel unius viri pietatem. Nam ut plurimum potius ad impietatem plurimorum, qui Religionem veram oretenus profitentur, vindice, quàm ad paucorum pietatem benigno in malos oculo reſpicit. *Etiamſi enim Noach,*
Ezech. 14. 20. *Daniel & Iob eſſent in civitate, vivam ego, dictum Domini, ſi filium aut filiam eriperent; ipſi cum juſtitia ſua eriperent ſe ipſos.* Itaque eo impenſius opera danda eſt Principi, ut non paucos, ſed quam plurimos bonos circa ſe habeat. Nam quia interdum etiam unius hominis pietas Principi & Reipublicæ toti ſalutaris eſt: dubium nullum eſt quin apud Deum (quæ ipſius benignitas eſt) plurimum poſſit plurimorum pietas atque Religio.

Euſeb. VIII. capp. 1. 2. 6 Atque hinc etiam Ethnici ipſi Imperatores, qui Eccleſiam perſequuti non fuerunt, opera talium utebantur in aulis ſuis & aliis miniſteriis honoratiſſimis, eos præ cæteris ſibi fideles exiſtimabant, adeoque in ſummo precio habebant. Hinc enim factum, ut Chriſtiani provinciis præficerentur, ait Euſebius, in Palatiis Imperatorum ſummas dignitates conſequerētur, eo quod Principes eos, ἐξόχως καὶ μᾶλλον τῶν συνθεραπόντων ἀποδεκτοὺς ἡγοῦντο,

eos

eos chariores haberent, & majoris æſtimandos quam cæteros conſervos eorum putarent. Inter quos erat Dorotheus *πάντων αὐτοῖς εὐνούστατός τε καὶ πιστότατος, qui præ cæteris omnibus fidelitatem & affectũ ſuum ſincerum Principibus probavit, καὶ τούτων ἕνεκα διαφερόντως παρὰ τοῖς ἐν ἀρχαῖς καὶ ἡγεμονίαις ἐντιμώτατος, & ideo in ſummo honore à Principibus & Magiſtratibus habitus fuit.* Item Gorgonius aliique plurimi ſummas dignitates ab Imperatoribus conſecuti. Idque ob eandem cauſam ob quam Potiphar ac poſtea præfectus carceris Ioſephum domi ſuæ præfecerunt: nimirum quod viderent Deum adeſſe ipſis & ſecundare omnia quæ faciebant. *Gen. 39. 4. 5. 23.*

7. Vnde manifeſtum eſt Principem, qui talium conſiliis & miniſteriis non utitur, ſibi rebuſq; ſuis plurimum nocere: prout iſtis Imperatoribus Ethnicis contigit, qui Eccleſiam perſequuti ſunt. His enim quia viſum fuit, ut Euſebius ait, *τὰ βασίλεια θεοφιλῶν χηρεῦσαι ἀνδρῶν, palatia ſua orbare piis viris*, ea ratione ſibi ipſis plurimum nocuerunt. *Euſeb. vit. Conſt. l. 11.* Nam hoc, *μάλιστα τῆς τοῦ θεοῦ ἐπισκοπῆς ἐρήμους αὐτοὺς εἰργάζετο, maximè eos protectione divina privavit. ἅμα γὰρ τῷ τοὺς θεοσεβεῖς ἐλαύνειν, καὶ τοὺς ὑπὲρ αὐτῶν ἐξεδίωκον εὐχάς, nam dum homines pios aulis ſuis ejicerent, etiam eorum preces pro ipſorum proſperitate inibi concipi ſolitas expulerunt.*

Capvt IV.

De priore genere hominum â quo Princeps ſibi cavere debet: nimirum hominibus levibus in veræ Religionis profeſſione.

1. Exempla hominum levium in profeßione Religionis, Ecebolii Sophiſtæ videlicet, Timothei Colonis Epiſcopi Conſtantinopolitani, Petri Mongi Epiſc. Alexandrini, item quingentorum Epiſcoporum & Clericorum Aſiaticorum. 2. Themiſtii Philoſophi de talibus judicium memorabile. 3. Leves tales homines Principi infideles eſſe probatur factis & teſtimoniis Conſtantini Chlori Imperatoris, Theodorici Gotthorum Regis, Hormiſdæ item & Vſthazanæ Martyrum Perſarum. 4. Ingenii & indolis talium hominum vera effigies in exemplo & Epiſtola quingentorum Epiſcoporum &c. ad Baſiliſcum Imperatorem. An illis etiam cum execratione & juramento aſſeverantibus credendum ſit ex eorundem Praxi & Thimothei Colonis oſtenditur?

1. QVemadmodum autem Princeps conſiliis ac opera talium virorum uti debet: ita contra debet ſibi cavere à miniſterio eorum, qui zelo non ſunt præditi veræ Religionis,

gionis,ſed profani & impii ſunt; ſpeciatim autem eos averſari debet, qui leves ſunt in negocio veræ Religionis atque illius profeſſione; hoc eſt,quibus perinde eſt,quam Religionem profiteantur; & veram Religionem ſeu ob ſpem, ſeu ob metum facilè abjiciunt: magis autem eos declinare debet,qui ob ſpem illud, & ad Principis infidelis ſive heterodoxi gratiam captandam illud olim fecere. Quales erant ii qui ſub Iuliano Apoſtata, animo nequaquam ſincero Religionem Chriſtianam profitebantur, quique (ait Socrates) divitias & honorem apud homines verę felicitati pręponebant. Ex quibus erat Ecebolius eloquentiæ Profeſſor apud Conſtantinopolitanos; qui ſe Imperatorum ingeniis conformans, Conſtantii quidem tempore præ ſe ferebat magnum zelum Religionis Chriſtianæ; ſub Iuliano autem acrem in Paganiſmo ſe oſtendit. Mortuo Iuliano rurſus ſub Chriſtiano Imperatore Chriſtianam Religionem profiteri ſtatuit: in eumque finem ante templi portas pronum abjiciens ſeſe & pedibus euntium ac redeuntium ſeſe exponens vociferatus eſt: *πατήσατέ με τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον: Calcate me ſal inſipidum.* Et ſic meritò Socrates de eo dicit, quod *κοῦφος καὶ εὐχερὴς πρότερόν τε καὶ ὕστερον ἦν, levis & inconſtans, & antea & poſt fuerit.* Talis nebulo etiam erat Timotheus Colon Epiſco-

Socr. III. 11. 17.

Theod. Lect. Collect. l. II.

 pus

pus Conſtantinopolitanus ſub Anaſtaſio primo Imperatore; qui cum Epiſcopum alicubi ordinaturus eſſet, & ille qui electus erat, ad eum dixiſſet, ſe nolle ab ipſo ordinari, eo quod ipſe Timotheus Eutychianus eſſet, ac Synodum Chalcedonenſem averſaretur atque anathematizaret; reſpondit ei Timotheus: Anathema ſit cuilibet homini Synodum Chalcedonenſem averſanti vel anathematizanti. Quo dicto paſſus eſt alter manus ſibi à Timotheo imponi. Aderat Iohannes quidam Archidiaconus, ſed Manichæus (cui ſectæ mater Imperatoris addicta erat) qui Timotheum ob eam rem non ſolum conviciis multis lapidavit, ſed etiam ad Imperatorem rem detulit. Imperator vocatum ad ſe Timotheum graviter increpat. Ille negat factum, dicens: Anathema ſit quicunque Synodum Chalcedonenſem recipit. Ejuſdem farinæ fuit Petrus Mongus Epiſcopus Alexandrinus ſub Zenone Imperatore; qui cum primùm Eutychianus fuiſſet, poſtea Orthodoxam doctrinam profeſſus eſt; mox rurſus damnavit Concilium Chalcedonenſe, & rurſus in Epiſtola ad Acacium Epiſcopum Orthodoxum Conſtantinopolitanum (Acacio referente) illud approbat; atque inter alia, quia accuſabatur quod damnaſſet Concilium illud, hæc verba profert; Deinde, inquit, ad alterum crimen tranſi-

Euagr. lII. 13. & 17. & 22.

tranſiliunt; quod ut commentitium ita priore multo deterius eſt. Πῶς γὰρ ἀναθεματίζειν εἴχομεν τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἁγίαν Ξύνοδον, ἣ πιστεύσαντες ἐβεβαιώσαμεν; *quomodo enim potuiſſem ſanctum Chalcedonenſe Concilium damnare, qui illud aſſenſu meo comprobavi.* Præclarum ſcilicet argumentum! Paulo poſt rurſus damnat illud Cõcilium. Vnde Euagrius eum vocat κόθορνον καὶ παλίμβολον καὶ τοῖς καιροῖς συνδιατιθέμενον, *cothurnum, verſatilem, & temporibus inſervientem.* Tales denique fuerunt Epiſcopi & alii Eccle- *Evagr. III.5.*
ſiaſtici fere quingenti, qui ſub Leone Imperatore, item poſtea ſub Zenone Orthodoxam doctrinam contra Eutychianos profitebantur; at cum hic expulſus eſſet à Baſiliſco Eutychiano, ad ejus juſſum illam cum Chalcedonenſi Concilio anathemate feriunt: mox cum Zeno rediiſſet ab exilio, veram rurſus Religionem amplexi ſunt.

2. Hoc genus hominum feſtivè perſtrin- *Socr. III. 1.*
xit Themiſtius Philoſophus Ethnicus ſub Io- *Caſsiod.*
viniano Imperatore in oratione, quam ὑπατι- *hiſt. trip.*
κὸν λόγον ſermonem Conſularem inſcripſit, di- *l.7.c.4.*
cens: ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ἁλουργίδα οὐ θεὸν θεραπεύοντας· μηδέ τι διαφέρειν αὐτοὺς Εὐρίπου, νῦν μὲν ἐπὶ τάδε, νῦν δὲ εἰς τοὐναντίον τὰ ῥεύματα μεταβάλλοντος, *manifeſtum eſſe tales homines, qui ſe Principis Religioni accommodant, non Deum, ſed purpuram colere; & ſimilimos eſſe Euripo, qui*

modo in hanc,modo in contrariam partem curſum ſuum mutat.

3. A talium hominum qui ita tempori ſe accommodare norunt miniſterio,conſortio, familiaritate caveat ſibi princeps. Nam ut in iis nec divinæ veritatis nec pietatis amor eſt: ita & exemplis & ſuggeſtionibus ſuis amorem veræ Religionis & pietatis, quantum in ipſis eſt,ex principis animo evellent. Cavendum autem ei tanto magis ab ipſis eſt, quod in cæteris etiam parum fructus imo contra multum damni Princeps inde expectandum habet. Etenim tales ut Deo infideles ſunt, ſic principi fideles eſſe nō poſſunt; & quos Chriſtum prodere juvat, illi ſi ex re ſua id eſſe putarint,multo magis hominem, id eſt, Principem ſuum prodent. Hoc fuit judicium Conſtantii Chlori Imperatoris Ethnici, qui explorate cogniturus qui ex Chriſtianorum in Palatio ſuo degentium Viri verè boni & quibus confidere poſſet,eſſent; convocatis omnibus palam edixit,ut, ſi vellent ſimulacris immolare & Deos ſimiliter cum ipſo colere, in ſuo manerent Palatio, & pro ſingulari haberent gratiâ quod non ſupplicio etiam affecti fuiſſent. Vbi Chriſtianos in duas partes diviſos vidit, &,qui Religionem prodebant, in unam; qui autem veritatem divinam ac pietatem præſentibus rebus præponebant in alteram partem

Euſeb. vit. Conſt. l. 1. Sozom. l. 6.

tem ſeparatim conceſſiſſe: ibi Conſtantinus quid ſibi mentis eſſet palam fecit, & illos qui ita leviter Religioni hæc temporalia præpoſuerant, non ſolum graviter redarguit, ſed etiam aula expulit tanquam proditores Dei: Πῶς γὰρ ἄν ποτε βασιλεῖ πίστιν φυλάξαι, τοὺς περὶ τὸ κρεῖττον ἁλόντας ἀγνώμονας. *Quomodo enim fidem erga Imperatorem ſervare poterunt inviolatam, qui adverſus Deum, qui præſtantior Imperatore eſt, perfidi & ingrati ſunt?* Illos vero qui conſtantes permanſerant, ac fidelitatem ſuam Deo comprobarant, ſimiles erga Imperatorem quoque fore dicens apud ſe retinuit, eis & perſonæ ſuæ & Imperii cuſtodiam commiſit, dicens: ἐν πρώτοις καὶ ἀναγκαίοις φίλων τε καὶ οἰκείων χρῆναι φήσας τοὺς πιστοὺς δεῖν περιέπειν, καὶ μᾶλλον αὐτοὺς ἢ μεγάλων ταμεῖα θησαυρῶν περὶ πολλοῦ τιμᾶσθαι: *tales viros in præcipuis & maximè neceſſariis amicis ac familiaribus reponendos eſſe, & longè præferendos ærariis, quæ ingentibus theſauris referta ſint.* Euſeb. ib.

Simile judicium fuit de hac re Theodorici Gotthorum Regis Ariani: qui Diaconum quendam habebat Orthodoxum quem vehementer diligebat & fovebat. Hic Diaconus relictâ fide Orthodoxa ad Arianiſmum tranſiit, ratus ſe hoc pacto Theodorico Regi gratiorem etiam fore, ac rem acceptatiſſimam præſtiturum. At Rex cognito hoc facto, eum quem antea tantopere dilexerat confeſtim Theod. Lect. Coll. lib. 11.

capite mulctari juſſit dicens : *εἰ τῷ θεῷ πίστιν οὐκ ἐφύλαξας, πῶς ἀνθρώπῳ φυλάξεις συνείδησιν ὑγιαίνουσαν; Si Deo fidem non ſervaſti, quomodo ho-*
Theod. V. 38. *mini ſinceram conſcientiam ſervabis?* Atq; ob hanc cauſam Hormiſdas Perſa vir illuſtris, in perſecutione (quam occaſione zeli inconſiderati Abdæ Epiſcopi in Perſia motam ſupra diximus) cum ipſum Rex exhortaretur, ut Chriſtum abnegaret; reſpondit ei; hoc non ſolum non honeſtum per ſe eſſe, ſed etiam Regi ipſi non utile, hac aurea ſententia prolata: *ὁ γάρ τοι πεπαιδευμένος ῥᾳδίως τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων καταφρονεῖν καὶ τοῦτον ἀρνεῖσθαι, ῥᾷον ἂν καὶ βασιλέως καταφρονήσει ἀνθρώπος γάρ τοι οὗτος θνητὴν φύσιν κεκληρωμένος. Nam quicunque didicerit Deum omnium gubernatorem facilè contemnere, eumque abnegare; multo facilius Regem, utpote qui nonniſi homo*
Sozom. II. 8. *eſt, contemturus eſt.* Ob eandem cauſam alius inſignis Martyr Perſa Vſthazanes faſſus eſt, ſe ſua apoſtaſia, quam ante admiſerat, non ſolum oſtendiſſe infidelitatem ſuam erga Chriſtum, ſed etiam adverſus Regem. Nam cum tempore Conſtantini Magni Sapores Perſarum Rex Chriſtianos crudeliter perſequeretur: inter eos qui metu ſupplicii & amore mũdi veram Religionem deſeruerant, erat Vſthazanes ſenex, Eunuchus, educator Saporæ, & in familia Regia principem locum obtinens. Sedebat fortè ante fores Palatii, cum Symeones

nes

nes Epiſcopus, quod veritati nuntium mittere nollet, in carcerem deducitur. Reſtabat in animo ſenis, adhuc affectus aliquis erga veritatem, & honor erga Doctorem illius. Itaque conſurgens honorificentiſſimè & humilimè ſalutat captivum Epiſcopum. At Symeones acriter ipſum increpare, & cum animi commotione adverſus eum exclamare; tandem vultum ab ipſo avertit & ſic indignabundus præterit. Stimulata hac re conſcientia Vſthazanæ fuit; quare in lacrymas ſe totum effudit; veſtem ſplendidam qua indutus erat exuit, & lugubrem pullamve ſumit; heu, inquit, me miſerum, qualem igitur Deum erga me fore expectabo, quem non ita pridem abnegavi: cùm Symeones ob eam cauſam mihi tantopere indignetur, & ne quidem vultu ſuo me dignari voluerit! ubi iſta Sapores intellexit, illum acerſit, rogat cauſam luctus, & ecquia in domo regia calamitas ei accidiſſet? Cui Vſthazanes: in his ædibus, inquit, ô Rex, nihil mihi accidit adverſi. Vtinam autem pro eo quod mihi cõtigit, in omnia alia calamitatum genera incidiſſem! hoc enim mihi longè fuiſſet tolerabilius. Iam vero lugeo, quod maneam in vita; quodque cum dudum mori debuiſſem, adhuc tamen Solem videam, quem, quo tibi gratificarer, non revera & ex animo ſed ſpecie ſolum & per ſimulationem adoravi. Meritus

itaque

itaque ſum mortem duplici nomine, tum quod Chriſti proditorem, tum quod veteratorem erga te ipſum me oſtenderim. Ita ſanctaiſthæc anima pœnitentia vera ducta, faſſa eſt ſe perfidia ſua mortem meruiſſe,& non ſolum erga Chriſtum,ſed etiam erga Regem ſuum infidelem & fraudulentum fuiſſe: Ac paulo poſt gladio à corpore ſeparata æternâ gloriâ coronata fuit.

4. Videt igitur princeps ſe fidere non poſſe iis qui in Religionis veræ profeſſione leves ſe oſtendunt. Atque eo minus fidendum iis eſt,quod vinculo ſocietatis humanę, nimirum juramento, quod ſacroſanctum eſſe debet, cum ipſo principe aut ullo homine connexi amplius eſſe non poſſunt. Etenim,prout uſus rerum tulerit, mox cum execratione Religionem falſam deteſtabuntur, eique anathema dicent; mox eandem cum anathemate veræ Religionis aſſerent; ut paulo ante vidimus exemplo Timothei Colonis.Iam Iurabunt & literis confirmabunt publicis ſe Religionem veram ſponte & ſine coactione abjicere; ubi princeps id ab iis flagitarit infidelis & hæreticus, metuens ſcilicet ne pro eo habeatur, qui homines cogat ad Religionem ſuam amplectendam. Mox contra,ubi princeps alius iſque Orthodoxus ſuccedit perſecutori: jurabunt & authenticis literis,ſi res ita poſtulet, declarabunt,

rabunt, ſe Religionem veram non ſponte, ſed coactos violentia principis abjeciſſe. Vnde patet talibus hominibus ne juratis quidem in ullo negocio fidendum aut credendum aut credendum facilè eſſe. Accedit, quod dum princeps perſecutor vivit, ſæpiſſimè æque atrociter imo gravius perſequuntur Orthodoxos; quàm ii qui nunqnam veram Religionem profeſſi ſunt. Nam ut principi complaceant; irritabunt eum adverſus Orthodoxos, atque ei blandientes dicent, Orthodoxos dum Religionem principis oppugnant, ipſum principem oppugnare: & ſic approbant perſecutionem Eccleſiæ tanquam juſtam, & cauſam malorum, cædium, tumultuum in Orthodoxos rejiciunt: imo hortantur principem ut erga eos violentia & crudelitate uti pergat. Nolo rem hanc comprobare experientia alia quàm veteris Eccleſiæ. Inſignem velut ideam talium hominum exhibent in proprio ſuo exemplo miſeri illi quingenti Epiſcopi & Clerici ſub Baſiliſco Imperatore, quorum paulo ante meminimus. Hi in Epiſtola ad Baſiliſcũ & Marcum Eutychianos Imperatores inter alia ſic ajunt: *Omnino ô ſanctiſſimi & Chriſto deditiſſimi Imperatores oſtendiſtis vos oppugnari ſub fide illa ac doctrina quam iſti homines* (Orthodoxi) *oppugnant.* Et paulo poſt: *Terribilis quædam expectatio judicii, ac divinæ iræ flamma & juſta veſtræ Clementiæ indigna-*

Euagr. III. 5.

dignatio è veſtigio adverſarios occupavit, qui & præpotentem Deum & veſtrum Imperium vera fide roboratum arroganter invadere & impugnare moliuntur: quique non modo non ceſſant noſtram tenuitatem variis incommodis afficere, verum ſemper nos calumniantur, & falſa crimina contra nos confingunt; nimium veſtro univerſali divino & Apoſtolico edicto nos non niſi vi coactos ſubſcripſiſſe: cum tamen nos ei cum omni promtitudine, gaudio & alacritate ſubſcripſerimus. Itē: *Nolite pati, ut quicquam fiat contra divinum illud edictum veſtrum; ſed ſcitote mundum ſurſum deorſum verſum iri rurſus; & mala à Concilio Chalcedonenſi orta, unde infinitæ cædes Orthodoxorum (ita ſe nominant nebulones illi) natæ ſunt, exigua fore præ his quæ ſequentur.* Addunt paulò poſt: *Proteſtamur coram Servatore noſtro Ieſu Chriſto, nos veram hanc Religionem* (Eutychianiſmum dicunt) *liberè amplexos: oramuſque, ut cum illi tum præcipue Conſtantinopolitanus Epiſcopus, prout par eſt, puniantur* &c. Vides bonos illos viros inter cætera rogare principes ut perſequātur ſævius, quam hactenus fecerant, Orthodoxos; & jurare horrendum in modum ſe libere & ſine coactione Eutychianiſmum amplexos. Sed quid mox faciunt? Cum Zeno Orthodoxus ab exilio redux Baſiliſcum expuliſſet Tyrannide & una cum uxore & liberis trucidaſſet, ac poteſtatem reſumſiſſet Imperatoriam: ibi tunc boni illi viri mittunt ad Acacium Epiſcopum Con-

Euagr. II. cap. 5.

Conſtantinopolitanum, cujus antea punitionem efflagitaverant; literas pœnitentiæ & palinodiæ, quibus proteſtantur ſe non ſponte, ſed coactos Eutychianiſmum amplexos, & juramẽto confirmant rem ita ſe habere: ac pulcra ſcilicet excuſatione perfidiam incruſtāt dicentes, ſe ῥήμασιν ἀλλ' οὐ καρδίᾳ, *verbis nõ corde aſſenſos eſſe*. Hæc de Eceboliis iſtis dicta ſunto. Interim verè pœnitentibus nec veniam Dei, nec gratiam hominum negandam eſſe dicimus. Verè autem pœnitentes illi certè ſunt qui ex lapſu reſurgunt perſecutionis ipſo tempore; nec reſipiſcentiam in meliora tempora differre volunt: præſertim autem illi, qui patiendo pro veritate reſarciunt, quod agendo contra eam deliquerant. Qualis S. Petrus fuit, & alii non pauci qui inſignem operam Eccleſiæ poſt lapſum navarunt. Interim turpitudo iſta ſuis exhibenda eſt coloribus, & non ſatis homines ab ea deterreri poſſunt. Sed de hac re alibi à nobis fuſius actum eſt. Sufficit oſtendiſſe jam, quodnam Principis circa tales homines officium ſit, ſi prudenter in vera Religione verſari cupit.

Vide Panaceam Apoſtaſia.

CAPVT V.

De altero genere hominum, quod principi in hac parte prudentiæ eſt fugiendum; nimirum ſimulatoribus; & de modis quibus illi ſe in veteri Eccleſia indirectè detexerint.

1. Tres cauſæ propter quas ſimulatores in negotio Religionis vitandi ſunt Principi, ex experientia veteris Eccleſiæ in familia Conſtantini Magni. 2. Quàm difficile ſit detegere ſimulatorem. Simulatores ſeſe mutuo ad ſimulandum exhortari exemplo Eudoxii & Eunomii Aëtianorum oſtenditur. 3. Quanta prudentia opus ſit in detegendis & convincẽdis ſimulatoribus, teſtimonio Eccleſiæ Cyzicenæ docetur circa Eunomium ſimulatorem. 4. Septem modi quibus ſimulatores indirectè ſe detexerunt in veteri Eccleſia. Et quidem primò modi tres quibus circa perſonas Orthodoxas & heterodoxas ſeſe detexerunt, oſtenditur exemplo ſimulatoris Leontii Epiſcopi Antiocheni. 5. Eudoxii Epiſcopi Conſtantinopolitani. 6. Presbyteri Ariani in familia Conſtantini. 7. Deinde quatuor alii modi, quibus ſimulatores ſe detexerunt circa res ſeu dogmata Orthodoxa & heterodoxa oſtenditur exemplo alio rurſus presbyteri Ariani. 8. Rurſus Leontii. 9. Arii.

10. *Nec non Euſebii Nicomedienſis, Theognidis Niceni in Synodo Nicena, Vrſacii & Valentis in Concilio Ariminenſi, Eudoxii in Synodo Conſtantinopol. Epiſcoporum Aegyptiorum in Synodo Chalcedonenſi.*

1 ALterum genus hominum quod fugiendum eſt Principi, ſiquidem primam hanc partem prudentiæ Eccleſiaſticæ adeoque veram Religionem conſervare in familia ſua, Eccleſia & Republica cupit, pejus adhuc & ſceleſtius eſt priore. Eos diximus ſimulatores eſſe, qui falſam Religionem, hæreſin, idololatriam animo fovent eo ipſo tempore quo veram Religionem profitentur. De hoc genere nebulonum multa dicenda forent, ex Eccleſiæ veteris experientia; ſpeciatim de ingenio, fine, modis agendi eorum. Sed quia propero ex hac parte prudentiæ ad alias contendere; ea in aliud tempus ubi, volente Domino, de prudentia Eccleſiaſtica agam eâ, quâ erga errantes atque ſpeciatim eos qui fundamentum negant, eſt utendum. Sufficiat in præſentiarum uno atque altero verbo monere quàm pernicioſum ſit hoc genus hominum; quo facto oſtendemus quomodo in Eccleſia veteri talia monſtra detecta fuerint. Ita facilius Princeps ſeu Magiſtratus ſibi ab ejuſmodi monſtris cavere poterit. Obſervandum igitur eſt, ſolere interdum infideles ſeu Hetero-

doxos Principes & ſacerdotes in familiam Principis intrudere atque artificioſe ingerere hominem ſuæ ſectæ aliquem,in eum finem ut principis Magiſtratusve animos pervertant, & paulatim in falſæ Religionis caſſes pertrahant. In eum finem non deligunt hominem ſimplicis oris & moris; ſed verſutum, & qui donis alioquin non vulgaribus præditus eſt. Hic facit omnia ut gratiam principis &auctoritatem apud ipſum obtineat. Quam quidem eo facilius invenit, ubi inſigni aliquo facto, quod Principi utile & gratum eſt, eum ſibi devinxit. Quem ubi videt conſtanter Religioni adhærentem, non adeo temerarius eſt, ut directè calumnietur & traducat apud eum Religionem Orthodoxam: ſed occaſiones commodas arripit,quibus deploret turbatam pacem Eccleſiæ, hortetur Principem ad eam reſtituendam; id facile eſſe dicit,quod diſſidium non ſit in rebus magni momenti, ſed exigui ponderis,abſq; quibus Religio facile conſtare poſſit, & incolumis ſervari: in ſumma meram contentionem & λογομαχίαν eſſe. Auferatur modo contentionis ſtudium& v.g. voculæ aliquæ tollantur, aut mutentur; pacē Eccleſiæ reſtitutum iri. Compendiū verſutiæ hujus vidit ingenti ſuo cum malo Eccleſia V. in familia Conſtantini M. Hujus ſoror Conſtātia vidua Tyranni Licinii in ſua domo habebat presby-

preſbyterum quendam qui Orthod. Religionẽ profitebatur quidẽ metu Conſtantini; ſed ſenſu Arianus erat. Hoc homine Euſeb. Nicomedienſis & alii ſectæ Arianæ Antiſtites ac proceres utebantur ad Religionem ſuam promovendam per ſimulationem iſtam. Tandem eo res deducta ab ipſis fuit, ut in familiam ipſius Conſtantini Magni introduceretur precibus ſororis moribundæ, quæ, cum Conſtantinus eam in morbo inviſeret, ipſum commendavit Imperatori & rogavit ut ejus opera uteretur. Non abnuit Conſtantinus; promittit: promiſſum ſervat. Toto tẽpore quo Conſtantinus vixit, non auſus fuit præ ſe ferre mẽtis ſuę Religionem; ſed alienã profitebatur tanta cũ ſpecie ut auctoritatẽ apud Conſtantinum M. ſibi pepererit non vulgarem. Moriens quippe Imperator Teſtamentum ſuum ei credidit, quo imperium partiebatur inter filios, deferendum ad Conſtantium; prout ab eo fideliter factum. Ex eo tempore & occaſione Conſtantio ἐτύγχανε κεχαρισμένος, καθότι τὴν πατρῴαν αὐτῷ διαθήκην ἀπέσωσεν, *charus fuit, propterea quod Patris Teſtamentum ei ſalvum tradidiſſet*, ut ait Sozomenus. In eo teſtamento, inquit Socrates, Conſtantius id invenerat ſcriptum ὅπερ ἐβούλετο· τῆς γὰρ ἑῴας βασιλεύειν ἐπέτρεπεν ἡ διαθήκη, *quod optabat; nam per teſtamentum ei legatum erat Orientis Imperium.* Hoc etiam facto

Sozom. III. 1.

Socr. II. 2.

preſbyter ille opinionem ſibi conciliavit fidelitatis; & ſic auctoritatem apud Imperatricem & aulicos nactus eſt. Hac aura aulica iſte non impigrè uſus eſt. Initio lucratur Euſebium quendam Eunuchum, primarium cubicularium Imperatoris: hic reliquos Eunuchos in eandem ſententiam inducit. Horum & preſbyteri artibus Imperatrix ſeducitur. Mox ipſe Imperator rem in quæſtionem vocare incipit; pedetentim malum latius ſerpit, ex aula in urbem, ex urbe in provincias evagatur. Ità tranquillus rerum ſtatus penitus labefactatus & everſus ſubito fuit, ait idem Socrates. Et ipſe Imperator ad Arianæ ſectæ communionem inductus & ad vehementiſſimam Orthodoxórum perſecutionem impulſus fuit. Tantum ignem concitavit unus ille nebulo ſimulator; idque ea ârte obtinuit; quod ut mox intelligemus Conſtantino perſuaſiſſet, inanem eſſe verborum contentionem, & modo una vocula abſtineatur, pacem ſimul ac veritatem integram conſtare. Alias etiam cauſas allegare poſſem, ob quas Princeps averſari talia monſtra debet. Labem enim ſibi ac poſt mortem memoriæ ſuæ aſpergit non vulgarem, quando eos homines tolerat ac fovet. Id de Conſtantino Magno non diffitetur Euſebius, Panegyriſta cæteroquin ipſius, dicens quoſdam quos ipſe μοχθηρὲς, *ſceleratos nebulones* vocat,

Euſeb. de vit. Conſt. IV. 54.

cat, *τὸ χριστιανῶν ἐπιπλάστως σχηματιζομένους τοὔνομα*, *qui ſimulaverant Religionem Chriſtianam*, cum fidem apud eum inveniſſent, eum ad mala conſilia abripuiſſe. Id quod ipſe vocat *κηλῖδα*, *maculam* Conſtantini Magni. Quin etiam dum ſimulatorem fovet Princeps, ſæpe etiam alia ratione ſerpentem in ſinu fovet: qui tandem in ipſius imperium vitamque armatur. Ita Conſtantio contigit, qui cum Iulianum ſimulatorem adeo foviſſet, ut etiam Cæſarem eum declararet, hanc gratiam ab eo tulit, ut res novas magnaſque per rebellionem ille contra Conſtantium moliretur. Accedit his, quod Princeps ubi ſimulatorum arte ſeductus eſt, tandem ſed nimis ſero quandoque deplorat credulitatem & imprudentiam ſuam, & irremediabili ſæpe ſuo cum malo dolet quod ſe à ſimulatoribus decipi paſſus fuit. Prout eidem Conſtantio contigit, qui eo potius animi dolore quàm corporis morbo extinctus fuit: *οὗ δὴ ἕνεκα πικρῶς ὠλοφύρετο τῆς πίστεως τὴν μεταθέσιν*, *cujus rei gratia acerbè lamentatus eſt, quod à Religione Orthodoxa defeciſſet*, ait Theodoritus; qui etiã addit, quod *στένων καὶ ὀδυρόμενος ὑπεξῆλθε τὸν βίον, ὅτι τῆς πατρῴας πίστεως παρεξέβη*, *cum gemitu & lamẽtis quod à Paterna ac vera Religione defeciſſet, vita exceſſit*. Denique conſtat vel hodiernorum temporum experientia, ſimulatores tales ſæpe immitti aulis principũ,

Theod. II. 32. & III. 1.
Socr. II. 37.

ut eos è medio tollant, conſiliis eorum ingeri ut ea hoſtibus prodant. Plures noxas talium monſtrorum jam, ut dixi, non addam.

2. Venio ad alterum, nimirum ecqua ratione è latebris ſuis extrahi ſerpentes tales, hoc eſt, detegi & agnoſci ſimulatores poſſint. Difficilis res fateor; quandoquidem tales in intimis receſſibus abſconditi hærent, & omnem operam navant ut latere poſſint. Et quod difficultatem majorem reddit; non caret ſimulator hominibus, qui quia metuunt ne fortè per imprudentiam ſemet prodat ſimulator, ſubinde eum hortantur, ut probè tegat mentem, & omnibus modis ſententiam ſuam in occulto habeat, idque periculi evitandi cauſa, & ut perficere poſſint ſcelus quod machinantur; & jubent ut patienter ferat moleſtam moram, ea ſpe fore ut cum tempore & occaſione commoda, præcipue autem quando majore potentia armati fuerint, liberè profiteri ſententiam ſuam, & alios vel vi vel arte in eandem pertrahere queant. Ita Eudoxius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Aëtianus hæreticus ſed ſimulator ſententiæ quam pro falſa habebat, monuit Eunomium Cyzici Epiſcopum ejuſdem & ſententiæ & artis hominem. Quòd enim Eudoxio cognita eſſet populi Cyziceni Orthodoxia, nec non Imperatoris animus Aëtianus infenſus, ſuaſit ei ἀποκρύψαι

Theod. II. 29.

τὸ

τὸ φρόνημα, καὶ μὴ δηλῶσαι τοῦτο τοῖς θηρωμένοις κατηγορίας πρόφασιν· καιροῦ γὰρ, ἔφη, τετυχηκότες, κηρύξομεν ἃ νῦν κατακρύπτομεν, καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας διδάξομεν, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἢ πείσομεν, ἢ καταναγκάσομεν, ἢ κολάσομεν: *nam tempus, inquit, opportunum nacti, prædicabimus ea quæ nunc ſilentio tegimus, ignorantes docebimus, contradicentes aut perſuaſionibus aut vi in ſententiam noſtram pertrahemus, aut ſuppliciis afficiemus.* Hoc Eudoxii conſilium erat. Nec ſegnis & væcors ad eam rem Eunomius: nam ταύταις πειθόμενος ταῖς ὑποθήκαις συνεσκιασμένην προσέφερε τὴν ἀσέβειαν, *his obſequens monitionibus non niſi involucris obtectam proferebat mentem ſuam.* Cumque poſtea arte Cyzicenorum detectus & ab Imperatore puniendus eſſet, exprobravit ei Eudoxius, μὴ πεισθέντι ταῖς ὑποθήκαις, *quod conſiliis iſtis non paruiſſet.* Itaque res difficultatis plena eſt detegere ſimulatorem, præſertim verſutiorem.

3. Verum quidem eſt interdum eos præſertim qui docendi officium in Eccleſia habent, ſub verborum involucris prodere ſententiam ſuam: ſed hoc ad plenam convictionem non ſufficit, abſque cujus materia accuſare eos audaciæ potius quàm prudentiæ eſt. Ita ſapienter judicavit Eccleſia Cycicena occaſione ſimulationis Epiſcopi ſui Eunomii quem modo nominavimus. Nam cum ita aliquoties, ut dictum, involutam propoſuiſſet *Theod. 2. ibid.*

mentem ſuam: doctiores ex Cyzicenis fraudem quidem latentem deprehendebant atque eam iniquo animo ferebant: Sed tamen antequam clarius rem perſpexiſſent & uberius, ſe ei palam opponere, θρασύτητος ἔργον οὐκ ἀγχινοίας ἐνόμιζον, *temeritatis potius quàm prudentiæ eſſe exiſtimarunt*, ait Theodoritus. Cavendum igitur eſt, ne quis ſimulationis adeoque hæreſeos & erroris occulti accuſetur, niſi ſufficiens argumentum ſit. Hîc enim ut in cæteris rebus abeſſe debet ſtudium calumniandi, & præjudicio immaturo proximum gravandi. Et hic inprimis locum habet regula Chriſti atque jus naturæ; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

4. Didicit autem Eccleſia vetus noſſe ſimulatores non aliunde quàm quia ipſi ſe detexerunt, hoc eſt, ſimulationem ſuam. Id quod ab ipſiſmet factum duobus modis; primò indirecte & oblique, hoc eſt, non quidem expreſſe fatendo venenum quod animo gerebant; ſed tamen actiones tales edendo, quibus palam aliis fecerunt latentem morbum ſuum. Alter modus eſt directus, quo tandem ipſi expreſſe & ore faſſi ſunt nequitiam ſuam ac latentem hæreſin contrariam profeſſioni externæ. Hoc capite, ne id nimis excreſcat, videbimus tantum priorem modum. Indirecte igitur manifeſtarunt ſimulationem ſuam actio-

actionibus duûm generum; quorum prius verſatur circa perſonas Orthodoxas & heterodoxas; poſterius circa res ſeu dogmata tum vera tum falſa.

Quantum ad actiones circa perſonas attinet; deprehenderunt viri prudentes ſimulatorem primò ex eo, quod cum poſſet & deberet Orthodoxos ad munia ſeu Eccleſiaſtica ſeu politica promovere atque adhibere, ille neglectis Orthodoxis promoveret heterodoxos; etſi Orthodoxi omni virtute præditi ſint & magis idonei ad obeunda munia illa quàm Heterodoxi, imo etiamſi hi interdum peſſimę vitæ eſſent. Hoc modo Leontius Epiſcopus Antiochenus ſimulator Orthodoxæ fidei, deprehenſus fuit Aëtianæ ſectæ ex animo addictus eſſe: Τῆς γὰρ δὴ Ἀρείου βλασφημίας μετέχων κρύπτειν ἐπειρᾶτο τὴν νόσον: *cum enim Arianæ blaſphemiæ particeps eſſet occultare ſtudebat morbum*, idque faciebat metu populi, & Conſtantii qui Aëtianos ferrę non poterat. δεδήλωκε δὲ τὴν ἐκείνου γνώμην τὰ πεπραγμένα· ὅσοι μὲν γὰρ τοῖς Ἀποστολικοῖς εἵποντο δόγμασιν, οὐδεμίας παρ' ἐκείνου κηδεμονίας ἢ χειροτονίας ἀπήλαυσαν· οἱ δὲ τῆς Ἀρείου μανίας μετειληχότες, καὶ παρρησίας μετελάγχανον ὅτι μάλιστα πλείστης, καὶ τοῖς ἱερατικοῖς ἐγκατελέγοντο τάγμασι: *manifeſtum autem fecerunt animum ejus facta ipſius. Etenim qui doctrinam Orthodoxam ſequebantur illis iſte neque proſpexit, neque* Theod II. 24.

 ullum

ullum omnino officium contulit Eccleſiaſticum: at qui Arii inſaniæ participabant, illi apud eum in auctoritate erant ſumma, & ad ſacros ordines promovebantur. Atque ob eam cauſam Flavianus & Diodorus Laici tunc eum palam coarguerunt; minati ſe tum Eccleſiæ illius communionem derelicturos, tum profecturos in Occidentem atque ibi fraudulentos conatus illius declaraturos. Item ſubjungit Theodoritus, eum Stephanum & Placitum intemperantis & plane diſſolutæ vitæ homines, quia tamen Ariani erant in numerum Preſbyterorum & Diaconorum aſciviſſe: at qui omnis generis virtutibus exornati eſſent, & firmiter Apoſtolicæ doctrinæ adhærerent, ad honores non extuliſſe. Id autem feciſſe in eum finem, ut quandoquidem populus maxima ex parte Orthodoxus eſſet; paulatim Eccleſiam inficeret, dum in Clerum pedetentim Arianos introduceret, qui etiam ob metum populi cum ipſo Leontio veram Religionem ſimulabant.

5. Alia ratione Eudoxius Aëtianus hæreticus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus æmulationem ſuam (nam aperta profeſſione Aëtii hæreſin averſabatur, etſi ſenſu & affectu Aëtianus eſſet) detexit: dum ſcilicet in alium ſimulatorem ejuſdem farinæ, qui detectus erat, ſecundum Leges prout debuit animadvertere noluit, niſi coactus & poſt multam tergiverſatio-

Theod. l. 2. 29.

ſatio-

ſationem; quo tamen officio ne tunc quidem rectè defunctus eſt, ſed ſimulatorem conſiliis & ope juvit. Ideo autem tergiverſabatur, quod metueret, quia eadem peſte laborabat, ne ab altero, ſi in eum ſecundum Leges animadverteret, detegeretur. Res ita eſt: Cyziceni cum Eunomii Epiſcopi ſui ſimulationem, ut mox dicemus, ſimulando detexiſſent; confeſtim Conſtantinopolin mittunt, qui apud Eudoxium accuſarent Eunomium. Sed illi ſurdo fabulam narrabant. Quare ipſum Imperatorem accedunt, apud quem de pernicioſa Eunomii doctrina conqueruntur. Imperator ira accenſus mandat Eudoxio, ut Eunomium Conſtantinopolin evocet, & ſi criminis convictus fuerit, Epiſcopatus dignitate privet. Accuſatores muniti mandato Imperatoris accedunt & quidem ſæpenumero Eudoxium & apud eum illo nomine inſtant; at Eudoxius perpetuo tergiverſari. Adeunt denuo Imperatorem, queruntur, clamant nihil factum ab Eudoxio quod erat imperatum. Tandem Conſtantius minatur, ſe ipſum Eudoxium in exilium ejecturum, nî Eunomium vocet Conſtantinopolin & cauſam ejus cognoſcat, ac convictum puniat. Quid tunc Eudoxius? Territus his minis anne punit Eudoxium? Nequaquam verò, ſed clam per literas monet Eunomium ut Cyzico ſe ſubducat & fugam capiat.

piat. Subducit igitur ſe ille quidem: ſed hanc ignominiam non ferens, iraſcitur Eudoxio, accuſat eum proditionis, & clamat eum non minus quàm ſe Aetianæ ſectæ addictum eſſe. Adeoque evitare non potuit Eudoxius quod metuerat, ne ſcilicet ab Eunomio ejuſdem criminis, hoc eſt ſimulationis accuſaretur. Hic mihi vide, quæſo, juſtum Salarium talium hominum. Nam ubi neceſſitas agendi adverſus ſimulationis Socium ipſis incumbit, in mira perplexitate animi ſunt; ſive enim officio fungantur, ſive non fungantur, vident ſimulationem ſuam in lucem productam. Si enim officio non fungantur; ſe ipſos produnt; ſi autem fungantur, à Socio produntur. Quanto magis igitur præſtat; in hoc omnium ſummo negocio quod Religionis eſt ac ſalutis, ſincere & candide, quàm ſimulatè agere. Obſerva autē non eum ſtatim pro ſimulatore habendum eſſe qui hæreticum non punit, ubi id leges requirunt; ſed eum, qui ſimulatorem, ubi is detectus eſt, tergiverſatur punire aut ſecundum officii rationem contra eum agere. Nam quod ad hæreticum attinet, adverſus eum ſæpe etiam non agitur ab homine vere Orthodoxo ob cauſas alias, juſtas an injuſtas jam non dicam. Patet id exemplo Theodoſii Magni & aliorum principum atque Epiſcoporum quoque, qui cum verè Orthodoxi eſſent, & nequaquam

quaquam ſimulatores, tamen ſecundum leges adverſus hæreticos quoſdam non ſemper egerunt, ut alio tempore videbimus volente Domino. Adeoque non protinus hæreticus eſt omnis qui hæreticum non coërcet.

6. Alia ratione Simulationem ſuam prodidit Presbyter Arianus ille, cujus paulò ante mentionem fecimus. Etſi enim, quia ex re ipſius fuit, profiteri auſus non fuit ſe ab Eccleſia Orthodoxâ circa doctrinam de Trinitate diſſentire: tamen non potuit diſſimulare quin interdum in aurem alicubi diceret, Arium (qui tamen juſtiſſimè condemnatus erat) per calumniam oppreſſum & iniquè oppreſſum fuiſſe. Nam ſubinde quando cum Conſtantio ſermonem conferebat de rebus Eccleſiæ, & occaſio ferebat, dicebat συκοφαντίαν ὑπομεμενηκέναι τὸν Ἄρειον. *Arium falſo accuſatum fuiſſe.* Ita hi tres ſimulationem ſuam detexêre actionibus quibus circa perſonas vel Orthodoxas vel Heterodoxas defuncti erant. Theod. 11. 3.

7. Nunc videamus quomodo iidem circa res, hoc eſt, doctrinam tam verâ quam falſam ſe prodiderint. Idem igitur aſtutiſſimus nebulo presbyter Arianus Eccleſiæ toti veteri ſimulationem ſuam probavit, cum non auſus convellere directè doctrinam Orthodoxam de Trinitate quam ore profitebatur, non niſi λογομαχίαν & inanem verborum de voce contentionem Theod. 16

tentionẽ à ſuæ externæ profeſſionis ſociis hoc eſt Orthodoxis motam eſſe perſuaſit Conſtantio. Nam, ut ait Theodoretus, tempeſtatem Eccleſiæ ſimulatè lamentatus, illius auctores eſſe dixit eos qui vocem ὁμοούσιον minimè in Scripturis repertam doctrinę fidei adjeciſſent: ex eâ vocula tantam diſſenſionem tum inter Laicos tum Epiſcopos ortam gliſcere. Hujus artem ſequutus poſtea fuit Eudoxius cum Gotthos argumento eo ſeduxit, ut ſupra vidimus, quod non de re ſed tantum de voce contentio eſſet.

8. Alio etiam modo Leontius cujus modo meminimus ſuam prodidit ſimulationem Antiochenæ Eccleſiæ, dum tranſilire ſoleret rem ſeu dogma controverſum inter Orthodoxos & Arianos, cum tamen res & uſus poſtularet, ut illud intactum non relinqueret. In Eccleſiâ veteri δοξολογία in templo cantari ſolebat, quam Orthodoxi hoc modo concipiebant: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto in ſecula ſeculorum. Ariani autem gloriæ Filii & Spiritus Sancti detrahentes ſic eam concipiebant: Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto. Quoties igitur in Eccleſiâ Antiochenâ δοξολογία canenda eſſet, ille tranſiliebat eam & tacebat, ac tantùm ea verba pronunciabat quæ extra controverſiam erant, ita ut ea ſaltẽ ab aſtantibus percipi poſſent, nimirum: *In ſecula*

Theod. l. 2. 24.

cula ſeculorum. Quo facto non minus quam eo quod ſupra commemoravimus, manifeſtũ fecit, ut Athanaſius loquitur, τὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ πονηρίαν καὶ δῆλος ἦν κρύπτων τὴν λώβην, *apertè declaravit mentis ſuæ malitiam & palàm fecit ſe hæreſin occultare ſuam.*

9. Tertius modus hujus generis ſed qui minus differt à præcedente, eſt quo Arius ſimulationem ſuam prodidit Eccleſiæ, dum fidei ſuæ Confeſſionem juſſus exhibere circa dogma controverſum inter ipſam & Orthodoxos, Scripturæ nudis verbis eam propoſuit & velavit; quæ ipſe uno, Orthodoxi alio ſenſu interpretabantur. Nam cum à Conſtantino Magno ex exilio revocatus, & juſſus eſſet fidei ſuæ confeſſionem ſcribere, fecit illud quidem veterator, ſed, quæ Athanaſij verba ſunt, κρύπτων τὰς ἀναιδεῖς δυσσεβείας λέξεις, ὑποκρινόμενος καὶ αὐτὸς ὡς ὁ διάβολος τὰ τῶν γραφῶν ῥήματα ἁπλᾶ καὶ ὡς ἔστι γεγραμμένα *in abſcondito retinens impudentes impietatis ſuæ voces, & ſe hypocriticè occultans ut Diabolus ſub nudis Scripturæ verbis ac prout illa ſunt Scripta.* Subodoratus eſt fraudem Conſtantinus, itaque credere ei noluit, ſed urſit εἰ μηδὲν ἕτερον ἔχεις παρὰ ταῦτα ἐν τῇ διανοίᾳ, μάρτυρα τὴν ἀλήθειαν δὸς *ſi nihil aliud præter hæc in animo occultas, teſtem da veritatem ipſam* hoc eſt juramento te purga.

Athan. Orat. 1. contr. Arianos.

Sozom. 11. 23.

10. Quartò denique alii ſeſe prodidere ſimulatores

mulatores, dum profitebantur quidem doctrinam aliquam quæ à totâ Eccleſiâ Orthodoxâ habebatur & habetur pro neceſſariâ ad ſalutem; hæreſi tamen oppoſitæ cui anathema dicendum eſt ab omnibus piis, anathema dicere nolebant, aut diu multumque tergiverſabantur. Notandum enim eſt, Orthodoxam Eccleſiam veterem quando volebat ut quis ſe hæreſeos crimine purgaret, in more habuiſſe ab eo flagitare ut anathema diceret hæreſi illi cui ſuſpectus erat. Hoc flagitavit Synodus Nicena ab Euſebio Nicomedienſi & Theognide Niceno Epiſcopis. Hi fidei quidem Nicenę ſe aſtipulari manu ſuâ confeſſi ſunt, ſed Ario anathema dicere noluerunt, nec ejus abdicationi voluerunt ſubſcribere. Quâ re quia ſatis indicabant quid animo foverent, à Conſtantino M. unà cum Ario in exilium ejecti fuerunt. Nam hi duo nebulones ſimulatione ſuâ & vafritie, poſtea ab exilio reduces, tum ſub Conſtantino tum ſub Conſtantio in ſummam & non ſatis exprimendam perniciem Eccleſiæ egregiè uſi fuerunt. Hujus ipſorum *ſimulationis auctor præcipuè extitit Nicomediæ Epiſcopus Euſebius*, ait Ruffinus, qui etiam ait eos *manu non mente ſubſcripſiſſe Concilio*. Similiter in mixtâ Synodo Ariminenſi Orthodoxi Patres ab Vrſacio, Valente, Eudoxio, Auxentio, Demophilo Epiſcopis poſtularant ἀναθε-

Ruffin. l. 5

Sozom. II. 2c.

Athan. Epiſt. ad Afros.

Theod. II. 23.
Sozom. IV. 16.

μιατίσαι

ματίζαι τὴν Ἀρειανὴν αἵρεσιν anathema dicere Arianæ hæreſi, ut Athanaſius ait; & quidem poſtularant hoc ut eo modo probarent Wiſacius, Valens, &c. ut Sozomenus ait, ſe nihil novi contra Orthodoxam doctrinam moliri. Sed illi renuerunt, ideò quòd eam hæreſin in ſinu foverent, ut res poſt geſtæ ab ipſis clarius oſtenderunt. Itaque ab Orthodoxis Patribus abdicati fuerunt Epiſcopatu, quod hæreſi illi anathema dicere noluiſſent.

Similiter in Concilio Conſtantinopolitano, cùm Eudoxius adhuc Epiſcopus Antiochenus accuſatus eſſet eum Aëtii ſectæ addictum eſſe; & Conſtantius Imperator rectè ac ſapienter dixiſſet: *οὐ χρὴ τοπάζοντας τοὺς δι-* Theod. 11
κάζοντας κρίνειν, τὰ δὲ πεπραγμένα σὺν ἀκρι- 27.
βείᾳ ζητεῖν: Non decet conjecturis niti in judicando: ſed ea quæ geſta ſunt accuratè perveſtigare. Tunc Euſtathius: *proinde, ô Rex, quò omnes credere poſſimus Eudoxium non ejuſdem ſententiæ cum Aëtio eſſe, jube ut anathema dicat fidei Confeſſioni quam Aëtius de hac re edidit.* Imperator lubenter huic poſtulato acquieſcit & mandat Eudoxio ut id faciat. Vides, Lector, ut hoc obiter dicam, Conſtantium judicaſſe hanc non eſſe conjecturam meram, ſed accùratum medium ex quo cognoſci poſſit hominem ſimulatorem eſſe; etſi perfidi homines & perjuri etiam illud nonnunquam eludant. At Eudoxius ter-

giverſabatur, καὶ πολλαῖς ἐκέχρητο μηχαναῖς ἐκκλῖναι τὴν πρόκλησιν *& multis machinis utebatur, ut poſtulatum illud eluderet.* Imperator hoc videns, iratus ait, ſe videre eum impiæ opinioni Aëtii addictum eſſe, & minatur σὺν Αἐτίῳ πέμψειν ὡς τοῦ δυσσεβοῦς φρονήματος κοινωνὸν *ſe eum eò miſſurum ubi Aëtium miſiſſet* (hoc eſt in exilium) *utpote impiæ opinionis ipſius participem.* Ibi tum ſceleratus ille ſuam propriam opinionem anathematizavit & abnegavit, ἣν καὶ τότε καὶ μετὰ ταῦτα πρεσβεύων διατετέλεκεν *cui tamen non ſolum tunc ſed & poſtea perpetuò aſtipulatus fuit & favit.*

Pari ratione in Concilio Chalcedonenſi cùm Ægyptii Epiſcopi Eutychianiſmi accuſati Imperatori Martiano libellum obtuliſſent, in quo dicebant anathema hæreſibus Arii, Eunomii, Manetis, Neſtorii; non autem Eutychis: Ibi tum omnes qui in Concilio erant exclamarunt: τὸ δόγμα Εὐτυχοῦς διατί μὴ ἀνεθεμάτισαν: *Quare verò Eutychis doctrinam non anathematizarunt? Subſcribant*, inquiunt, *Epiſtolæ Leonis Romani Epiſcopi, denuncientque anathema Eutychi & ejus dogmatis:* Leonis Epiſtolæ conſentiant: χλευάσαι ἡμᾶς θέλουσι καὶ ἐπελθεῖν *volunt nobis illudere & nos circumvenire.* Tunc Ægyptii Epiſcopi tergiverſari, ac dicere multos eſſe in Ægypto Epiſcopos, ſeque non poſſe abſentium perſonam ſuſcipere, rogaruntque

ut

ut expectaretur adventus Archiepiſcopi ſui; abſque eo enim ſi quid facerent, omnes Ægypti Epiſcopos facturos impetum in ipſos. Concilium diu illis id negavit, tandem moram illam conceſſit. Atque hi quidem ſunt modi ſeptem quibus in vetere Eccleſiâ ſimulatores indirectè nequitiam ſuam ipſi detexêre ac palam fecêre.

Caput VI.

Oſtenditur quibus modis ſimulatores directè ſe ipſos in vetere Eccleſiâ detexerint, & quidem vel per imprudentiam vel per malitiam.

1. Quomodo imprudenter ſe detexerint ſimulatores. Speciatim quomodo Enthuſiaſtæ ſimulatores à Flaviano Antiocheno & ſe ipſis detecti? 2. Quomodo Eunomius Cyzicenus Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ ſeſe detexerit? 3. Quomodo Baſilius Bongomilorum Hæreſiarcha Alexio Comneno Imperatori ſeſe prodiderit? 4. Quomodo & quando malitioſe ſimulatores ſeſe detegere ſoleant vivo principe Orthodoxo, experientiâ Eccleſiæ in Apollinari oſtenditur? 5. Quomodo Principe Orthodoxo mortuo, exemplo Arianorum primipilorum; item Iuſtinæ Imperatricis. 6. Obiter quæſtio deciditur: Anne

Conſtantinus Magnus Arianus tandem evaſerit. 7. Simulatores quomodo nonnunquam immediatè à Deo detegantur, exemplum Arii. 8. Quæſtio anne omnes ſint Orthodoxi qui veram Religionem non ſolum profeſſione externâ ſed etiam juramentis, item beneficiis erga Orthodoxos; item anathemate contra hæreticos ac eorum perſecutione præ ſe ferunt, deciſa judicio & experientiâ veteris Eccleſiæ. 9. Quomodo procedendum in judicio de ſimulatoribus inſtituendo: item à quibus actionibus abſtinendum unicuique in hoc negotio: unà cum cautelâ iis obſervandâ, qui ſimulatorum acta edunt ſeu opera faciunt, nec tamen ſimulatores videri volunt. 10. Quâ prudentiâ utendum quando ſimulator detectus eſt, experientiâ Eccleſiæ Cyzicenæ oſtenditur.

1. VIdeamus quomodo ſimulatores ſe ipſos in veteri Eccleſiâ detexerint directè, & larvâ penitus demtâ, conceptis verbis atque apertè omni remoto velo confeſſi ac profeſſi fuerint falſam Religionem quam animo fovebant. Fecerunt illud duobus modis, vel per imprudentiam vel per malitiam. Per imprudentiam tunc, quando Orthodoxi colloquio cum ipſis familiari habito & blando elicuerunt ex ipſis confeſſionem criminis; quod ſi ab Orthodoxis ſine mendacio & ſimulatione falſæ Religionis factum eſt, laudem meretur

tur prudentiæ & imitandum eſt; ſi autem cum mendacio & ſimulatione factum, in vitùperium cadit verſutiæ nequaquam imitandæ. Quicquid ſit, immemores tunc fuerunt ſimulatores verſutiæ ſuæ; & nonnunquam Deus permiſit ut ſimulatione ſimulator deceptus ſibi pœnam aut exitium attraxerit. Valente regnante & Valentiniano Majore Meſſalianorum ſive Enthuſiaſtarum hæreſis (quos etiam εὐχήτας vocabant) pullulaſcere cœpit. Hi externè veram Religionem profitebantur, ab Eccleſiæ communione ſe nequaquam ſeparabant, quòd ſacram Cœnam vanitatis ſuſpectam haberent, dicentes, eam neque prodeſſe neque obeſſe cuiquam: erroris ſui morbum occultabant, & ubi accuſati illius eſſent ac eo nomine reprehenſi, impudenter negabant ſe illius ſententiæ eſſe: quod magis eſt, illis, qui idem cum ipſis ſentiebant, ubi illi detecti & convicti eſſent, Eccleſiâ ſuâ interdicebant. Flavianus Antiochenus Epiſcopus cum intellexiſſet eam peſtem etiam Edeſſæ ſerpere, & ſuum venenum in vicinorum animos diffundere, effecit ut Antiochiam venirent ſceleſti illi. Et quia morbum pernegabant, extorſit confeſſionem illius ad hunc modum. Primùm dixit (refero verba Theodoriti) accuſatores eorum calumniari, & teſtes mentiri. Deinde Adelphium virum valdè ſenem qui ex

Theod. IV. 10.

primipilis ſectę illius erat, ad ſe benignè vocatum propè aſſidere jubet. Tùm infit: Quandoquidem nos duo ad longum temporis ſpatium vitam produximus, idcirco & hominum ingenium, indoles, atque Diaboli machinationes accuratius nobis cognitæ ſunt; experientiâ quoque propriâ edocti ſumus quæ & quanta ſint dona gratiæ. Iſti verò accuſatores veſtri cùm ſint juniores, & nihil iſtarum rerum accuratè norint, ſermones ſpirituales vix ac ne vix quidem audire ſuſtinent. Itaque explica mihi, quæſo, quâ ratione affirmetis & Spiritum malignum recedere à vobis, & contra Spiritum Sanctum in vos ingredi. His verbis Senecio delinitus venenum occultum pleno ore evomuit ac myſteria ſua Flaviano liberaliſſimè prodidit. Quæ cùm Epiſcopus audiiſſet & habuiſſet quod volebat: O malis atque inveteratis diebus onuſte ſenex ἔλεγξέ σε τὸ στόμα σου καὶ οὐκ ἐγώ. Τάδε χείλη σου κατεμαρτύρησάν σου *tuum ipſius os te coarguit, haud ego: tua labra teſtimonium contra te dixerunt.* Sic morbo illo detecto Syriâ ejecti fuerunt Enthuſiaſtæ.

Theod. II. 29. 2. Similiter per imprudentiam detexit ſimulationem ſuam Eunomius Cyzicenis. Cùm enim hi (quòd Orthodoxi eſſent) ægrè ferrent lupum eum ſibi præpoſitum eſſe; conſilium ceperunt ejus nequitiam (nam Eudoxii

monitum

monitum ſequutus occultabat ſententiam ſuam de Trinitate) in apricum proferendi. Accedunt itaque ipſum & ſimulant ſe Aëtio aſſentiri, orantque ut ipſe amplius in ejus dogmate ſe inſtituat, nec permittat ut variis doctrinis huc illuc ferantur. Ibi tum Eunomius fidenti animo opinionem ſuam aperit, quam hactenus celaverat. Quo intellecto, inquiunt illi, impiè factum fore ab eo ſi non tota Eccleſia quæ ipſius curæ commiſſa eſſet, particeps ab eo veræ illius doctrinæ fieret. Iſte eâ ratione aliiſque perſuaſus in publicis Eccleſiæ conventibus deinceps blaſphemiam ſuam patefacit. Illi verò cùm haberent, quod dudum cupiebant, ocyùs Conſtantinopolin contendunt, eumque apud Eudoxium primùm, dein apud Conſtantium Imperatorem accuſant; quo eventu id factum ſit, vidimus capite præcedente.

3. Eodem modo (quamvis hoc exemplum propriè antiquioris Eccleſiæ non ſit) Alexius Comnenus Imperator circa annum milleſimum centeſimum decimum octavum, cùm Henricus Quartus Occidentis Imperium teneret, Bongomilorum hæreſiarcham Baſilium detexit. Cùm enim is infamis Hæreticus qui Trinitatem inter alia negabat Orbem longè lateque infeciſſet, tandem Conſtantinopolin venit. Ibi Imperator, quod intellexiſſet eum *Zonaras tom. III.*

virus ſuum celare, accerſitum blandè compellat, cum eo familiariter converſatur, & diſcendæ veritatis ſtudium profitetur. Ibi ille venenum ſuum liberè effundit, dogmata ſua ex occulto depromta in Imperatoris ſinum deponit. Imperator habito de eo judicio hominem ad rogum condemnatum atque exuſtum è medio tollit. Simile ferè eſt factum Conſtantii Chlori quo ille vertumnos atque cothurnos illos detexit per ſimulationem, ut ſupra vidimus. Nos iſtum agendi modum abſit ut probemus: interim ex allegatâ experientiâ apparet, juſto Dei judicio fieri ut homines verſutiſſimi, poſtquam diu Deo mundoque illuſerunt, tandem ſtolidè labantur & ad ſimulationis ſuę pœnam per ſimulationem trahantur. Ita Deus peccata ſimilibus peccatis punire ſolet, hoc eſt, ea quæ ab hominibus malè fiunt in pœnas adeoque bonum convertit. Atque ita quidem ſimulatores per imprudentiam ſeſe directè ſed ſuo malo detexerunt.

Theod. v. 3.4. 4. Videamus quomodo etiam malitioſè ſeſe prodere ſoleant, hoc eſt, eo animo & fine ut Eccleſiam majoribus incommodis liberè afficere poſſint. Faciunt id duabus occaſionibus. Etenim id faciunt principe Orthodoxo vel vivo adhuc vel eo mortuo. Vivo Principe larvam ponunt: tunc quando ab Orthodoxis offenſi ſunt aut offenſos ſeſe putant: tunc

tunc enim, modò alicubi inter homines Religioni illi addictos quam hactenus occultaverant, renunciant profeſſioni veræ Religionis, & falſam apertè profitentur. Ita geſſit ſeſe Apollinaris ſub Imperatore Gratiano. Ille enim τὸ τῆς εὐσεβείας περιθέμενος προσωπεῖον, καὶ τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων δόξας ὑπερασπίζειν hoc eſt, *cùm initiò ſimulaſſet veram Religionem & præ ſe tuliſſet ſe Apoſtolicam Doctrinam defendere*; tandem cùm ad Antiochenum Epiſcopatum necquicquam adſpirâſſet reſiſtente ei Flaviano coràm Sapore Duce Gratiani, qui eò turbarum iſtarum componendarum cauſâ miſſus erat, adeoque τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἡγεμονίας διαμαρτὼν, διὰ ῥ' ἤδην λοιπὸν τῆς καινοτομηθεῖσαν διδασκαλίαν ἐκήρυττε καὶ τῆς αἱρέσεως ἑαυτὸν ἀπέφηνε ἀρχηγὸν *Epiſcopatus repulſam tuliſſet, ex profeſſo in poſterum novam hæreſin ſuam docuit, & ſectatores nactus eorum ducem ſe præbuit*, ac Epiſcopos ipſe ſuæ ſectę conſtituit. Putârat enim ſibi injuriam factum tùm à Principe, hoc eſt Sapore, tùm ab Orthodoxâ Eccleſiâ Antiochenâ præſertim à Flaviano.

5. Mortuo Principe Orthodoxo larvam tunc tollunt, ubi Princeps ſuccedit ipſorum hæreſi aut idololatriæ addictus. Ita factum à nebulonibus illis, presbytero Ariano, Euſebio Nicomedienſi & Theognidi quorum antea mentionem fecimus. Vivo Conſtantino Ma- *Vide Socr. II. 2. Sozom. II. 1. 30. capp. & lib. III. 1. Sulpit. lib. II.*

Caſſiod. hiſt. Imp. lib. IV. c. 1 Niceph. Call. tom. IX. c. V. gno, quod perſpectus ipſis eſſet zelus Imperatoris metus eos retinuit, quo minus virus ſuum evomerent atque detegerent. Itaque Orthodoxam Religionem profiteri neceſſarium ſibi putârunt, teſtibus Socrate, Sozomeno, Sulpitio, Nicephoro Calliſto, Caſſiodoro. Extincto principe, extinctus eſt quoque metus eorum. Succeſſit enim Conſtantius, ſub quo ita ut ſupra oſtendimus circumvento Arianiſmũ γυμνῇ κεφαλῇ *aperto capite* ait Nicephorus, & liberè profeſſi ſunt ac Orthodoxos extremè perſequuti; poſteaquam metu & principis & plebis, cujus etiam timor aliquandiu quoſdam retinuerat, ut de Urſacio & Valente Sulpitius teſtatur, liberati eſſent.

6. Vt adeò (hoc enim obiter ſed non ſine cauſa dicendum eſt) merum commentum ſit, quod quidam dicunt Conſtantinum Magnum ante mortem Arianæ hæreſi fidem dediſſe. Id commentum ab Arianis profectum, qui id in ſuæ impietatis favorem ſparſere, ut ex Sozomeno patet, qui prolixè ſatis commemorat, quibus circumſtantiis hæretici illud pinxerint ut colorem haberet mendacium. Fateor Hieronymum dicere in Chronico, Conſtantinum Magnum *in Arianum dogma declinaſſe*, ſed id non aliter à Conſtantino M. factũ eſſe quàm quod Arianis ſimulatoribus, hoc eſt, veram Religionem veteratoriè profeſſis, nimis faverit, eos locis

Hier. Chr. ad an. 340.

locis ſuis reſtituerit, ipſorum verſutiæ & calumniis fidem contra Athanaſium præſertim habuerit, patet ex totâ antiquitate Eccleſiaſticà. Hoc reſpectu Hieronymus dicit Conſtantinum Magnum in dogma Arianum declinaſſe. Summa; quicquid à Conſtantino factum in favorem Arianorum, non ab ipſo factum alio intuitu, quàm quod nebulones illos verè & ſincerè reſipuiſſe ac Orthodoxam Religionem candidè profiteri putaret. Ex quo vel ipſo videmus, quantum nocere Religioni, Eccleſiæ, & Orthodoxis ſingulis monſtra talia, ſimulatores puta, poſſint. Similiter Iuſtina Ariana Valentiniani Majoris conjunx vivo marito auſa non fuit profiteri hæreſin; eo mortuo ſtatim erupit, virus evomuit atque Valentinianum filium in S. Ambroſium armavit, ut ſuprà vidimus.

7. Atque hactenus quidem oſtendimus, quomodo ſimulatores ſe ipſos detexerint in Eccleſiâ veteri, adeoque hominibus cogniti fuerint. Eſt & alius modus ſed ſupernaturalis & planè divinus quo Deus immediatè veteratores ejuſmodi detegit tunc, cùm hominum cognitionem effugiunt, quod vel nemo ad actiones ipſorum attendat; vel quod intelligentibus & monentibus fides non adhibeatur. Id facit Dominus judiciis ſuis horrendis quibus perfidiam ipſorum adeò ulciſcitur, ut omnes

Theod. V. 13.

omnes intelligant quàm ſceleſtè ſanctæ profeſſionis mantelo ſeſe involverint. Ita Arii ſimulationem quam perjurio etiam texerat in apertum produxit Dominus. Nam cùm ille ſuis ac gregalium ſuorum artibus tantum perfeciſſet, fruſtrà reclamante Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo, & aliis piis qui fraudem hominis intellexerant ſed fidem non invenerant apud potentiores, ut ſequente die cum ingenti dolore piorum in communionem Eccleſiæ ſolenniter Conſtantinopoli introducendus eſſet: præcedente veſperâ ante ſolis occaſum neceſſitate naturæ compulſus in latrinas ſeceſſit & ibi inteſtina effudit, adeoque, ut Sozomenus ait, τῆς τε κοινωνίας καὶ τοῦ ζῆν εὐθὺς ἐστερήθη *& communione Eccleſiæ & vita ſua confeſtim privatus fuit.* Quod cùm Conſtantinus M. audiviſſet ἐθαύμασεν εἰδὼς ἐλεγχθέντα τοῦτον τὸν ἐπίορκον *miratus id Conſtantinus eſt, & ex eo pro certo agnovit, Arium pejeraſſe.* Atque, ut Socrates refert, morte Arii magis etiam in Orthodoxâ fide confirmatus fuit, καὶ ἀληθῶς ἐκ θεοῦ μεμαρτυρῆσθαι τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἔφησεν *revera à Deo ipſo teſtimonium ſic accepiſſe fidem Nicenam dixit, ac lætatus eſt eo caſu.*

Sozom. II.28.

Athan. Orat I. contr. Arian.

8. Ex his omnibus apparet non omnes eos eſſe Orthodoxos qui Orthodoxam Religionem ore profitentur, & in Eccleſiæ ac Sacramentorum communione verſantur. Ariani,

ut

ut ſubindicavimus, poſt Concilium Nicenum metu Conſtantini communicabant cum Orthodoxis, nec ſe ab ipſorum ſacris ſeparabant: idque faciebant ſub ſpecie & profeſſione Religionis Orthodoxæ: interim mentem ſuam ut ante retinebant. Quò etiam faciunt reliqua exempla à nobis commemorata. Imo quod magis eſt, patet ex dictis, non omnibus credendum eſſe in ea re, qui negant ſe ſententiæ ſequiori addictos eſſe; imo non omnibus, qui juramento teſtantur ſe vere Orthodoxos eſſe. Pejerant enim ſcelesti homines nonnunquam ut in aliis ita etiam in hoc omnium graviſſimo & ſummo negocio, idq; in eum finem ut latere poſſint, & ad finem ſuum pervenire ſub Religionis veræ prætextu; prout ab Ario factum modò vidimus. Non ſolum hoc, ſed & majus dico: nimirum non omnes qui Religionis profeſſioni etiam beneficia & honores interdum erga Orthodoxos addunt, pro Orthodoxis in veteri Eccleſia habitos fuiſſe. Hoc enim ſimulatores quoq; erga Orthodoxos interdum etiam paucos tantum nonnunquam præſtant; ſed ad tempus ſaltem, ac poſtea ceſſant: Paucis autem aut pluribus interdum & ad tempus ideo benefaciunt, quia ſi illis beneficium aut honorem negarent debitum, ſibi ipſis nocituros ſe vident, & nimis craſſe morbum ſuum detecturos. Ita à Leontio factũ ſimula-

mulatore illo Ariano cujus mentionem capite præcedente fecimus. Cum enim Flavianus & Diodorus celebres poſtea viri in Eccleſia Chriſtiana ſed tunc temporis adhuc Laici, noctu & interdiu, ad pietatis ſtudium omnes in Eccleſia Antiochena exemplo ſuo excitarent, atque in eum finem primi Pſallentium choro in duas partes diviſo, hymnos Davidicos alternis canendos tradidiſſent (quæ res primùm cœpta Antiochiæ, ait Theodoritus, poſtea ubique pervaſit & ad ultimas terrę oras uſq; invaluit) & ad monumenta Martyrum cũ multis Orthodoxis totam noctem in Dei laudibus ſeſe occuparent: Leontius quod videret tutum non eſſe prohibere conventus illos Flaviani & Diodori, eo quod multitudo illos ſumma benevolentia complecteretur: verbis amiciſſimis & blandiſſimis eos rogat ut hoc miniſterium in ipſis Eccleſiis obirent. Hi etſi nequitiam hominis probè cognitam haberent, officium tamen ſibi impoſitum ſuſceperunt, & partibus ſuis cum Eccleſiæ ædificatione alacriter defuncti ſunt. Vidimus ſupra impoſtorem illum neglexiſſe omnes alios Orthodoxos: jam intelligimus eum uni aut alteri honoris aliquam & benevolentiæ ſeu umbram ſeu ſpeciem detuliſſe. Luculentiùs etiam longè citra comparationem eſt beneficium quod Iulianus in Orthodoxos contulit eo

Theod. II. 24.

tem-

tempore,quo Imperator jam factus,poſt obitum Conſtantii , Religionem Chriſtianam mentiebatur. Etenim quod ſibi ab exercitu metueret vera Religione imbuto, τὸ δυσσεβὲς τῆς ψυχῆς οὐκ ἐπίδηλον εἶχεν, *Paganam impietatem* Theod.
quam animo continebat neutiquam patefecit : Sed εἰς III.3.4.
εὔνοιαν ἅπαντας ἐφελκόμενος, *ut benevolentiam ſibi omnium conciliaret*, Epiſcopos Orthodoxos à Conſtantio in exilium ejectos revocavit ex ultimis etiam partibus Orbis terrarum, & ad ſuas Eccleſias redire juſſit. Et tunc inter alios rediere ex exilio beneficio Iuliani magna illa Eccleſiæ lumina Athanaſius & Hilarius. Sed hæc benevolentia erga Orthodoxos non diu duravit, verum mox exſpiravit. Nam ut res ſuas confirmatas vidit,detexit impietatem ſuam,& cum Religionis profeſſione etiam animum erga Orthodoxos mutavit, atque ex eo tempore eo gravius illos perſequutus eſt, quo aſtutius illud ſibi faciendum putavit.

Præterea vetus Eccleſia non omnes pro Orthodoxis habuit qui anathema dicerent Hæreticis,imo qui eos etiam perſequerentur. Interdum enim metu periculi aut pœnæ utrũque faciunt , adeoque etiam in ea parte ſimulant. Ita factum ab Eudoxio vidimus paulo antè, qui Aëtii doctrinæ, hoc eſt,ſuæ propriæ ſententiæ anathema dixit. Eo non contentus ipſe cum ſimilibus aliis ſimulatoribus(qui fa-

ctionem

Theod. II. 28. 29. ctionem Acacianam conſtituebant) eum juſſu Imperatoris depoſuerunt officio ac gradu Diaconatus quem in Eccleſia tenebat: & ſic ob Religionem, *ἀπεκήρυξαν τὸν ὁμόφρονα, abdicarunt eum, qui ejuſdem cum ipſis Religionis erat.* Atque inter alia ſcripſerunt Epiſtolam Synodicam ad Georgium Epiſcopum Alexandrinum, in qua quid contra Aëtium geſſerint ſignificant & graviſſimis conviciis ob Religionis negotium proſcindunt hominem ſuum; vocant ſcripta ejus nefaria, ſcandaloſa, ſcelerata; ideo ſe merito ei anathema denunciaſſe. Nominant ipſum auctorem offendiculorum, turbarum, Schiſmatum, ſeditionum &c. Epiſtolam integram videre eſt apud Theodoritũ lectu dignam: utpote ex qua veteratorum talium indoles egregiè videri poteſt. Eunomius etiam quamvis in ſuis libris Aëtium ad cœlum uſque extolleret, hominem Dei vocaret, & ſententiam ejus, ut vidimus, ſequeretur; tamen in eo ipſo Concilio Conſtantinopolitano eorum ſententiis qui eum abdicarunt, & conviciis ſummis proſciderunt, acceſſit, & ab iiſdem Epiſcopatum Cyzicenum tunc conſequutus eſt. Meſſaliani etiam ſeu Enthuſiaſtæ cõmunione Eccleſiæ excludebant ob Enthuſiaſmum illos, qui detecti eſſent, ut ante intelleximus. Priſcillianiſtæ ſimulabant etiam Religionem Orthodoxam, & anatematizabant

Priſcil-

Priſcillianum ejuſque doctrinam, teſte Auguſtino lib. cont. mendac. ad Conſent. c. 5. *Videamus quid mali dicant Priſcillianiſtæ, qui propterea mentiuntur, ut eos noſtros eſſe credamus. Anathematizant Priſcillianum & ad noſtrum arbitrium deteſtantur: dicunt animam creaturam Dei eſſe non partem: execrantur Priſcilianiſtarum falſa martyria: Catholicos Epiſcopos à quibus illa hæreſis nudata, oppugnata, proſtrata eſt, magnis efferunt laudibus, & cætera hujuſmodi.* Sic denique Pelagius ſententiæ ſuæ propriæ (quam & tunc animo fovebat & poſtea retinuit ac docuit, nimirum gratiam Dei qua liberamur ab impietate ſecundum merita noſtra dari) anathema dixit. Nam is in *Epiſcopali judicio Palæſtinæ damnari metuens*, ait Auguſtinus, *ſententiam ſuam damnare compulſus eſt, ſed in poſterioribus ſcriptis hoc invenire docetur.* Ob hanc ſimulationem idem Auguſtinus ait eum non anathematizaſſe, ſed *viſum fuiſſe anathematizaſſe* ſententiam ſuam, idque in eum finem ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur, & ne damnaretur, ut idem ait: *Cogitur itaque reſpondere quod Pelagius in Eccleſiaſtico judicio, ut aliquo modo Catholicus pronunciaretur anathematizare compulſus eſt.* Item: *Nec ſaltem poſt judicium quod de ipſo Pelagio in Palæſtina factum eſt, corriguntur: de quo damnatus exiſſet, niſi objecta ſibi contra gratiam Dei dicta, quæ obſcurare non potuit, ipſe damnaſſet. Præter illa enim, quæ quomodo potuit*

Auguſt. cont. mend. c. 5.

Auguſt. Epiſt 106 ad Paulinum ſ. Boniſac.

auſus eſt qualicunque ratione defendere, objecta quædam ſunt, quæ niſi remota omni tergiverſatione anathematizaſſet, ipſe anathematizatus eſſet.

9. Ex his apparet primò, quod latiùs pateat profiteri Religionem Orthodoxam, jurare ſe illi addictum eſſe, benefacere Orthodoxis, damnare hæreticos, eos perſequi, & ſimilia; quàm Orthodoxum eſſe: & ſic negativè valere conſequentiam, ut Logicorum filii loqui ſolent, non autem affirmativè. Non ſecus atque neceſſario argumentor: Non eſt animal, Ergo non eſt homo; rectè autem non argumentor ſi dicam: Eſt animal, Ergo eſt homo. At, inquiet aliquis, unde igitur ſciam hominem ſimulatorem eſſe aut non eſſe? Nam ſi ſimulator omnia ea externè facere poteſt, quæ in Orthodoxo laudantur: videtur fieri non poſſe ut cognoſcam quis ſimulator, quis vere Orthodoxus ſit. At primò fieri vix poteſt, ut ſimulator omnia contraria faciat iis ſeptem indiciis ex quibus in Eccleſia veteri cognitus fuit: Deinde poſito eum pleraque aut omnia præſtare, non tamen ſemper & conſtanter præſtabit, ſed tandem larva juſto Dei judicio ei detrahetur. Denique charitas jubet ut habeatur pro Orthodoxo, qui non admittit ea, ex quibus in veteri Eccleſia ſimulatores cogniti fuerunt; ſed contraria agit.

Deinde patet ex dictis, a quibus actionibus

non

non ſit abſtinendum ei qui verè Orthodoxus eſt,& pro ſimulatore haberi non vult,& contra à quibus ei ſit abſtinendum. Non enim debet abſtinere ab actionibus quæ Orthodoxis conveniunt,& quas ſimulatores nequitiæ ſuæ tegendæ cauſa imitantur: nimirum, verbi gratia, à profeſſione veræ Religionis, ab anathematizatione dogmatum quæ verè hæretica ſunt, à beneficiis & honore erga Eccleſiam Dei & fidos illius ſervos &c. Sed abſtinendum eſt ab iis actionibus, quæ ſimulatorum propriæ ſunt, ex quibus illi ſe in vetere Eccleſia detexerunt. Quod ſi autem quis per imprudentiam aut ob affectus carnis admittit aliquid, quod à ſimulatoribus fieri ſolet & unde eos in vetere Eccleſia deprehenſos vidimus: is rectiſſimè & cum ædificatione Eccleſiæ fecerit, nec non propriæ ſuæ & conſcientiæ & famæ optimè conſuluerit, ſi ab eo in poſterum deſiſtat, vel ob eam cauſam: quod talia facta non decent Orthodoxos ſed ſceleratiſſimum genus hominum, ſimulatores ſcilicet. Decet autem Chriſtianum verum & prudentem non ſolum à malo, ſed etiam à mali ſpecie longè abeſſe ut Apoſtolus hortatur.

10. Denique ex dictis patet, quemadmodum prudenter agendum eſſe diximus ut ſimulator deprehendi & convinci poſſit, ita etiam prudenter agendum eſſe ubi ſufficien-

ter detectus eſt. Tunc enim probe circumſpiciendum eſt; cui deferatur cauſæ cognitio, hoc eſt, apud quem accuſetur ſceleſtus ille. Cavendum igitur ne ſimulator apud ſimulatorem judicem accuſetur: ſed apud eum, qui etiam à ſuſpicione criminis abeſſe ſe per omnia probat omnibus actionibus ſuis. Quod ni fiat, operam ludent, qui ejus rei curam ex officio in ſe ſuſceperunt. Id experti ſunt Cyziceni cum ſimulatorem Eunomium apud ſimulatorem Eudoxium accuſaſſent, ut antea monuimus. Quod ſi autem ordo & conſtitutio Eccleſiæ Reipublicæve requirat ut cauſæ cognitio deferenda ſit ei, qui ipſe actionibus ſimulatorum propriis defungitur; atque is officio non fungatur adverſus reum: imitandum eſt eorundem Cyzicenorum exemplum atq; ad ſuperiorem confugiendum. Qua in re ut in cæteris omnibus ſemper leges & conſtitutiones Reipublicæ atque Eccleſiæ obſervandæ ſunt: prout ab eadem Eccleſia Cyzicena factum ſupra intelleximus.

CAPVT VII.

Speciale officium Principis circa priorem partem prudentiæ Eccleſiaſticæ, quæ immediate circa veram Religionem verſatur.

1. Cura præcipua principis, quæ eſſe debeat? De Epiſcopatu Principis nobile Apophthegma Conſtantini Magni. 2. Theodoſii junioris ſtudium inſigne veræ Religionis. 3. Mala duo publica, quæ naſcuntur ex eo quando Princeps non benè in Religione inſtitutus eſt. 4. Manuelis Comneni Imperatoris mali Theologi inſania circa anathematizationem Turciſmi, cum Corollario. 5. Hæreticorum ſcripta an legere debeat Princeps, quæſtio deciſa ex praxi Theodoſii Magni.

1. ATque hæc quidem conjunctim de utraque parte prudentiæ iſtius omnium primæ & nobiliſſimæ, quæ in zelo tum veritatis divinæ tum vitæ ſanctitatis conſiſtit, quatenus ea ad principem pertinet, dicta ſufficiant. Nunc officium Principis ſpeciatim & ſeorſim circa ſingulas duas illas partes & quidem breviter videamus: ac primò circa zelum veritatis divinæ. Ante omnia igitur ſciat, ſuarum partium eſſe, ut omnem ſuam curam conferat in conſervationem

& propagationem veritatis divinæ quam veram Religionem latiore nomine appellant. Ei enim iſta cura ſingulari quodam & excellenti modo incumbit, tanquam miniſtro Dei & nutritio Eccleſiæ. Hoc ſui officii eſſe poſt pios Reges veteris Teſtamenti Davidem, Ioſaphatum, Ezechiam & alios agnovit Conſtantinus Magnus, qui πᾶσαν εἰς τὰ θεῖα μετέθηκε τὴν σπουδὴν, *omnem ſuam curam & ſtudium in veram Religionem contulit*. Hinc cum aliquando Epiſcopos quoſdam & inter hos Euſebium Cæſarienſem qui hæc ſcribit convivio excepiſſet, dixit iis; ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην: *vos quidem intra templum, ego autem extra templum à Deo conſtitutus Epiſcopus ſum*. Hanc curam etiam liberis ſuis tum cum jam Cæſares eſſent tàm coram quàm per literas inculcabat. Nam inter ea, quæ ipſis præcipiebat, τὸ μέγιστον ἦν καὶ πρῶτον, *maximum erat ac primum*, τὴν εἰς τὸν πάντων βασιλέα θεὸν γνῶσιν τε καὶ εὐσέβειαν περὶ παντὸς πλούτου δὲ καὶ περὶ αὐτῆς βασιλείας τιμᾶσθαι, *ut veram cognitionem Dei & pietatem omnibus divitiis, imo ipſi Imperio anteferrent*, καὶ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ διὰ φροντίδος ἄγειν ἐν πρώτοις παρῄνει, *& ut Eccleſiæ Dei curam haberent inprimis hortabatur.*

Theod. l. 16.

Euſeb. de vit. Conſt. IV. 29.

Euſeb. ib. c. 52.

2. Hac autem cura ut rectè defungi poſſit, neceſſum eſt ut ipſe in vera Religione benè & ſolidè ſit inſtructus. Qua in re omnes Princi-

pes

pes ac magiſtratus perpetuo ante oculos habere debent exemplum Imperatoris Theodoſii junioris, qui ſacram Scripturam *ἀπὸ ϛήθȣς ἀπήγγειλεν*, *memoriter recitare norat*; & cum Epiſcopis converſans, *ὡς ἱερεὺς πάλαι καθεϛὼς ἐκ τῶν γραφῶν διελέγετο*, *tanquam ſi diu jam Epiſcopus fuiſſet, ex ſcripturis diſſerebat.*

3. Quod ſi enim in Religione vera ipſe inſtructus non ſit; non ſolum non habebit ejus veram ac ſeriam curam; ſed etiam facile artibus hæreticorum aut aliis modis impelli ad apoſtaſiam & Eccleſiæ perſequutionem poterit. Prout Conſtantio Imperatori contigit, qui neſciens quo fine τὸ ὁμοȣ́σιον erat à Patribus Nicenis uſurpatum, adeoque non rectè nec veram Religionem, nec Arianorum mentem intelligens, facile ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut τὸ ὁμοȣ́σιον abdicaret, cum Arianis communicaret, & Orthodoxos graviſſimè perſequeretur. Accedit aliud malum quod exinde naſcitur. Nam ubi princeps in Religione non bene inſtructus eſt, ipſe interdum (quemadmodum inexperientia & inſcitia audaciores facere ſolent) res fidei illotis manibus tractare, & Religionē innovare conabitur: idq; ideo quia hoc vel illud myſterium non capit, & aliquid aliud ipſi veriſimilius & melius videtur. Atque id eo proclivius faciet, quòd imperitiæ adjuncta eſt auctoritas ac potentia. Nec adulatores dee-

Socr. VII. 22.

runt aliqui ex illis aulicis qui literis inſtructi ſunt. Hi enim ut gratiam apud eum ineant, fovebunt audaciam ipſius, ei applaudent in illo negocio, & flammæ oleum addent.

4. Teſtatur hoc experientia Eccleſiæ in Oriente. Sancitum erat communi conſenſu Imperatorum & Epiſcoporum, ex quo Mahumetana impietas ſerpere & caput efferre cœperat, ut in publicis tabulis Catecheticis inſereretur inter alios aphoriſmos etiam anathema contra Deum Mahometis, ut qui nec Pater nec Filius, nec Spiritus ſanctus eſſet. Manuel Comnenus Imperator, cum jam plurimos annos imperii habenas rexiſſet, adeoque omni eo tempore ipſe cum Eccleſia anathema dixiſſet Deo Mahumetis; prodidit tandem quam parum bene in fundamento Religionis, hoc eſt, myſterio adorando ſacroſanctæ Trinitatis inſtructus eſſet. Voluit enim id anathema ex omnibus Catecheticis libellis expungi, ab ipſa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ auſpicatus; quod exiſtimaret hanc eſſe blaſphemiam in verum Deum. Nam putabat Saracenos ſeu Turcas, quia dicunt ſe Deum unum colere creatorem cœli & terræ, eundem cum Chriſtianis adeoque verum Deum colere. Vnde ille putabat contumeliam hãc in ipſum Deum redundare. Ingratus, dicebat, eſſem univerſitatis rerum Deo à quo præter Imperii faſtigiũ

Nicet. Choniat. Man. Comn. lib. 7.

aliis

aliis magnis prærogativis ſum ornatus, & in-
ſanus eſſem niſi hanc ei qualemcunque vicem
rependerem & omnem operam darem, μὴ τοῦ-
τον ἀναθέματι καθυποβάλλεσθαι ἀληθινὸν ὄντα θεὸν,
*ut ne ille anathemate notetur, quandoquidem verus
Deus eſt.* Contradicebant illi Epiſcopi omnes,
ſed fruſtra: quin imo illi adeo contemtim ha-
bebantur ab eo, ut impie verba Pauli per con-
vitium in ipſos detorqueret, & μωρὰ τοῦ κόσμου,
ſtulta hujus mundi vocaret. Exiſtimabat ſcilicet 1 Cor. 1.
ille, eum eſſe etiam verum Deum, qui non ſit 27.
Pater qui ab æterno genuit filiũ, & filius ab
æterno à Patre genitus, nec non Spiritus S. e-
juſdem cum Patre & Filio eſſentiæ: quæ etiam
Socinianorum ſeu hodiernorum Samoſate-
nianorum hæreſis eſt. Ignem autem ſuccende-
bant ii, qui ex aulicis erant, τὸν καιρὸν κολακεύον-
τες καὶ λόγου μετέχοντες, ait Nicetas, hoc eſt, *qui
tempori inſervientes adulatoriè ſe ad Principis nutum
componebant, & qui literaturæ politioris non imperiti
erant.* In eo autem errore Imperator non fuiſ-
ſet, ſiquidem myſterium Trinitatis in ſuo ve-
ro ſenſu illo, quem innuimus, judicaſſet perti-
nere ad ſalutem. Ipſe enim profitebatur ſe co-
lere Deum Mahumetis, qui non eſt Pater Fi-
lius & Spiritus S. Adeoque neſciebat eos, qui
myſterium Trinitatis non agnoſcunt, non
Deum, ſed idolum & cerebri ſui figmentum
colere. Putabat tamen ſe verum Deum colere

rectéque colere, & ſic in cultu Dei Mahumetis ſalvari poſſe.

Vnde ut hoc obiter dicam apparet quam perniciosus & execrabilis eorum error ſit, qui negant dogma Trinitatis, prout illud in controverſia cum Antitrinitariis ſpeciatim cum Socinianis eſt, ad ſalutem neceſſarium eſſe: & quam lata porta Turciſmo aperiatur errore illo. Prout profecto ille Manuelis error initium fuit horrendorum judiciorum Dei in Græcorum Imperium, quod Mahumetanæ impietati prædæ datum eſt: eoque magis, quòd tunc Epiſcopi minis Imperatoris & inſaniæ in dedecus Religionis Chriſtianæ & opprobrium veri Dei ceſſerunt, ac anathema illud, quod præcedentibus temporibus ab Imperatoribus & Epiſcopis inſertum erat tabulis Catecheticis expunxerunt, atque ita immutarunt, ut non minus Deo quàm hominibus illuderent. Nam ut Imperatori potius quàm ſuæ conſcientiæ & officio ſatisfacerent, illud converterunt in anathema dicendum Mahometi & omni ipſius doctrinæ ac ſectæ. Simul etiam per conſequens ex dictis videre eſt, quid periculi impendeat iis locis, in quibus myſterium Trinitatis vilipenditur, & hominum ludibrio exponitur. Nam in iis locis ubi aperta profeſſio Socinianiſmi nondum eſt, & tamen permittitur ut id myſterium ludibrio exponatur

ab

ab iis qui id ad ſalutem neceſſarium eſſe fateri nolunt, ſtatuuntque licere illud in dubium vocare, negare, oppugnare, & eos qui hæc faciunt docent eſſe homines pios ac verum Deum colere: metuendum eſt valde ne Socinianiſmus apertè invehatur: in iis autem locis in quibus apertè Socinianiſmus exercetur, profectò metuendum eſt, ne Turciſmus ea tandem invadat. Nam Turciſmus quantum ad doctrinam de Deo attinet, non eſt aliud quam Socinianiſmus ſive Samoſatenianiſmus. Certè Deus juſtus judex eſt, ὃς ȣ̓ μυκτηρίζεται, *qui ſe naſo ſuſpendi aut ludibrio haberi non patitur: ſed quod homo ſerit, hoc etiam metet*, ait Apoſtolus. Gal. 6. 7. Et Deus nobis non fruſtra ante oculos ponit judicia ſua quæ adverſus alios exercuit: Sed in eum finem ut exemplum inde capiamus & ſapiamus nî iiſdem judiciis aut ſimilibus irretiri velimus.

5. Sic itaque manifeſtum eſt Principem in vera Religione ſolidè & benè inſtructum eſſe debere. Hac occaſione paucis monendum, quâ prudentia princeps circa Lectionem Hæreticorum ſcriptorum uti debeat. Caveat igitur ſibi ne ea legat, niſi primò ante in vera Religione ſufficienter & ſolidè ſit inſtructus. Secundò ea non legat, niſi id neceſſitas poſtularit officii ipſius; cum ſcilicet ipſi controverſia Religionis inter ſubditos oborta cognoſcenda eſt,

da eſt. Tertiò ne ea legat abſque prævia ardente invocatione Dei. Quartò, ut legat ea cum modo ac menſura; quam in rem ipſi ſufficere poteſt ut ex ipſorum propriis ſcriptis communi præſertim nomine editis ſententiã eorum cognoſcat, adeoque eorum fidei Confeſſionem legat. Quæ ubi circa lectionem ſcriptorum adverſariorum obſervarit Princeps & ſimul judicium Orthodoxorum Theologorum non contemſerit, dubium non eſt quin in vera doctrina confirmatior & conſtantior ſit evaſurus. Hæc quatuor obſervavit Theodoſius M. in Concilio Conſtantinopolitano. Cum enim pacis Eccleſiaſticæ conſtituendæ cauſa variarum ſectarum Epiſcopos convocaſſet; inter alia ſequutus Conſilium Epiſcopi Conſtantinopolitani jubet ut ſingulæ ſectæ fidei ſuæ confeſſionem ſcripto comprehenderent, quo ita ſibi de ſingulorum doctrina ac ſententia melius conſtaret. Parent ſectæ, & qui ex quaque ſecta doctiſſimi erant doctrinam ſuam ſcriptis mandant. Die quæ ad rem præſtituta erat, ſectarum Epiſcopi ad Palatium conveniunt. Tum Imperator eos primum benigne & gratioſe excipit, deinde ſingulorum Confeſſiones accipit, & poſtquam in locum ſeparatum ſe incluſiſſet, ardenter Deum invocat, ut ſibi in tanto opere adeſſet. Atque ita demum ſingulis confeſſionibus per-

Socr. V. 10.

lectis, cæteras omnes utpote Trinitatis myſterium oppugnantes rejecit ac dilaceravit: Nicenæ autem doctrinæ firmiter adhæſit, & adverſus hæreticos officio ſuo functus eſt. Cætera Specialia officia hujus prudentiæ quæ ad Principem pertinet ſuo loco à nobis exponentur; ubi de prudentia ea agemus, quæ immediatè ad homines qua Orthodoxos, qua errantes pertinet. Nunc quæ diximus ſufficiant.

CAPUT VIII.

Speciale officium Principis ſeu Magiſtratus circa alteram partem prudentiæ hujus.

1. *Imprudentia Iuſtini ſecundi Imperatoris circa hanc rem: item Zenonis.* 2. *Mala in quæ princeps incidit, ubi vitæ pietatem à veræ Religionis profeſſione ſeparat.* 3. *Exercitia privata pietatis & cultus divini princeps habere debet non domi ſolum ſed etiam in caſtris, exemplo Theodoſii Iunioris & Conſtantini Magni. Formula precationis à Conſtantino Magno ipſo concepta & militibus Ethnicis propoſita.* 4. *Principi abſtinendum eſſe à ferendis legibus quæ repugnant alteri parti prudentiæ hujus. De Valentiniani bigamia & lege obſervatio, adverſus Baronium.* 5. *Circa repertas conſuetudines & leges repugnantes huic prudentiæ*

quid

quid Principi agendum, exemplis memorabilibus Theodoſii Magni & Honorii & Anaſtaſii Impp. oſtenditur.

1. Alteram partem prudentiæ Magiſtratus quæ immediatè circa Deum verſatur veramque Religionem, quod attinet; ea, ut diximus conſiſtit in vitæ rectitudine & ſanctitate. Nec enim exiſtimare debet Princeps ſatis aut Regium eſſe, aut principe dignum officium ſe facere; quando zelum veritatis divinæ conſervandæ & propagandæ præ ſe fert. Alterum etiam requiritur; ut ne ſcilicet unquam ſeparet zelum ſanctitatis & pietatis vitæ à priore zelo. Qua in re imprudentiſſime ſeſe geſſit & graviſſime impegit Iuſtinus ſecundus Imperator; qui quidem & inter ſubditos ſuos
Evagr. V. 1.2.4. verę Religionis profeſſionem urgebat, μηδενὸς περὶ τὴν πίστιν καινȣργȣμένȣ *nulla re innovata circa Religionem*, id quod ſolum ἀξιόλογον αὐτῷ ἐπράχθη *laude dignum ab eo factum eſt*, ait Evagrius; edicto etiam graviſſimo inhibuit hæreſes & Orthodoxæ fidei patrocinatus eſt; & præterea exteris, ac qui ſubditi ipſius non eſſent, oppreſſis à principe ſuo ob veram Religionem opem tulit, adeo ut ejus rei cauſa bellum adverſus eum (Perſarum Regem dico) ſuſciperet. Verum enimvero moribus diſſolutis, voluptatibus, avaritia, crudelitate erga

proprium

proprium ſanguinem profeſſionem Religionis turpiſſimè fœdavit; cujus rei, etiam pœnas acerbas dedit, ut ſuprà ex parte innuimus.

Multò minus putet Regium eſſe aut poteſtate ſua dignum, publice facere quod etiam turpiſſimi ex vulgi fæce homines non niſi intra privatos parietes facere audent; prout à Zenone Imperatore etiam Orthodoxo & zelum Religionis præ ſe ferente, ut ex Henotico ipſius edicto patet, factum; qui adeo potentiæ ſuæ luſtro animi oculos præſtrictos habebat, ut voluptatibus σκολιῶς καὶ ἐν παραβύστῳ *in tenebris & remotis arbitris* indulgere χαμαιπετὲς εἶναι νομίζειν· Τόδε γε ἀναφανδὸν καὶ ὥσπερ ἐξ ἀπόπτου βασιλικὸν καὶ αὐτοκράτορι μόνῳ πρέπον, *exiſtimaret eſſe vulgare, idioticum & abjecti animi: palam autem atque in oculis omnium iis indulgere regale quiddam eſſe & ſolum Imperatorem decens.* Qua in re eum κακῶς καὶ δουλοπρεπῶς *perverſe & ſerviliter* judicaſſe, meritò ait Evagrius hac præclarâ additâ ſententiâ quæ in omnium Principum animis hærere debet: ὅτι οὐκ ἐξ ὧν ἑτέρων κρατεῖν πέφυκεν ὁ αὐτοκράτωρ γνωρίζεται· ἀλλ' ἐξ ὧν ἑαυτοῦ πρῶτον ἄρχειν τε καὶ κρατεῖν μηδενὶ τῶν ἀτόπων παρείσδυσιν ἑαυτῷ διδοὺς, οὕτως ἀνάλωτος ταῖς ἀκρασίαις ὑπάρχων, ὡς ζῶν ἄγαλμα τῶν ἀρετῶν εἶναι πρὸς μίμησιν ἐκπαιδεύων τὸ ὑπήκοον &c. Non ex eo αὐτοκράτωρ *Imperator cognoſcitur ſeu denominatur, quod aliis imperare ſoleat;* Evagr. III. 1.

ſed

ſed quod ſibi ipſi primò ac præcipuè imperat, ac nullum vitium ſinit in animum ſuum irrepere, adeoque invictum ſe ab intemperantia & quovis immoderato affectu præſtat, ut viva effigies virtutum ſit, ad cujus imitationem ſubditi edocti ipſius exemplo ſeſe componant.

2. Hoc conſiderare princeps debet; quod ni faciat, exoſum ſe ſubditis ſuis ob vitæ turpitudinem reddit, unde graves calamitates naſci ſolent. Ita profecto Zenoni contigit, qui paulò poſt regno exutus à Baſiliſco fuit, deſertus à ſubditis ſuis πάντων ἐπίσης τ̀ αἴσχιστον αὐτοῦ βίον ἀποστρεφομένων *quod ex æquo omnes ipſius turpiſſimam vitam abominarentur*, ait idem Evagrius. Taceo alia judicia Dei, qui Principes ubi à timore nominis ipſius deflectunt, & libidini atque affectibus ſuis pravis potentia ſua velificantur, miris modis compeſcere poteſt ac ſolet. Cujus rei ſcriptura ſacra nobis exempla ſuppeditat infinita; & veteris Eccleſiæ experientia idem confirmat, ut de noſtris temporibus nihil dicam. Itaque ſæpè contingit Principibus talibus, ut, poſtquam admiſſo ſcelere iram Dei adverſus ſe provocarunt, peccatum ſuum ſemper ante ſe habeant, non quomodo David dicit *peccatum meum ante me ſemper*; quod ipſe ideò dicebat quia ex animo & perpetuò dolebat turpitudinem utriuſque flagitii à ſe admiſſi: ſed quia Deus ſæpè talibus modis eos punit, ut quoties ſe intuentur pœnam

ſcelerum

Evagr. l.3.c.3.

Pſal. 51. 5.

ſcelerum ſuorum ante oculos habeant. Neque enim princeps in eâ parte privilegium prę quoquam ex infima hominum ſorte habet. Quo ſenſu meritò & rectiſſimè Theodorus, de Heraclio Imperatore fratre ſuo qui inceſtuoſo matrimonio junxerat ſibi Martinam ſororis ſuæ filiam, dicere ſolebat: ὅτι ἁμαρτία αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτοῦ διὰ παντὸς, *peccatum ipſius ante eum ſemper.* Nam non uno modo peccatum ipſius vindicta divina ante oculos ejus ſtatuerat. Etenim cum ex Martina duos filios ſuſcepiſſet Flavium & Theodoſium ἡ δίκη ἐθριάμβευε τὸ ἀθέμιτον *juſtitia divina triumphos duxit de ejus ſcelere,* ait Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Etenim quoties intuebatur duos illos filios ſuos, videbat illud peccatum ſuum ante ſe; quòd alter ita natus erat, ut cervicem in neutram partem inflectere poſſet, alter autem ſurdus eſſet. Præterea ipſe Heraclius ita diſtortam corporis partem qua peccarat contraxit, ut quoties mejeret in ora atque oculos ſuos τὰ οὖρα ἔπεμπεν *urinam emitteret:* cui malo ut mederetur, aſſerem ventriculo imponere neceſſum habebat. Annon hoc eſt peccatum ſuum ſemper ante conſpectum ſuum habere? Nam, ut recte ibi Patriarcha ait, ἔλεγχος ἦν τοῦτο τῆς παρανομίας τῆς ἑαυτοῦ, *in perpetrati ſceleris argumentum atque inceſtus pœnam id ei divinitùs inflictum erat.* Caveat igitur ſibi Princeps nè ſe-

Niceph. Conſtant. Patr. ad an. 633.

Idem an. 616.

Idem an. 640.

parect timorem Domini ac pietatis zelum à zelo veritatis divinæ; ſed contra religioſe, vere & ex animo Deo inſerviat.

3. In ſpecie horum duorum probè meminerit. Primò ut Religionis exercitiis defungatur non ſolum publicè, ſed etiam privatim cum aulicis ſuis ac tota familia. Supra meminimus, cùm de utraque parte prudentiæ hujus conjunctim ageremus, pietatis Theodoſii junioris; de quo hoc tacendum non eſt hoc loco, eum ne ficum quidem aut alium fructum unquam guſtaſſe ſolitum, niſi πρότερον εὐλογήσαντα τὸν πάντων δημιουργὸν, *prius ad Deum preces concepiſſet, eumque ut rerum omnium creatorem laudaſſet.* Et refert Socrates, quod οὐκ ἀλλοιοτέρα ἀσκητηρίου κατέστησε τὰ βασίλεια; *regia ejus non diſſimilis fuerit veterum piorum monachorum aſceteriis atque habitationibus.* Nam ſtatim cum primo diluculo ipſe cum ſororibus ſuis hymnos Deo decantare ſolebat. Qua in re præeuntem ſibi habuit Conſtantinum Magnum, qui ἐν αὐτοῖς τοῖς βασιλείοις ἐκκλησίας θεοῦ τρόπον διετέθειτο, *in ipſa regia formam Eccleſiæ conſtituerat.* Nam privatim congregabat aulicos ſuos, ac tum ipſe cæteris præibat, ſumto codice ſacro in manus legebat primum & meditabatur Scripturam ſacram; εἶτα εὐχὰς ἐνθέσμους σὺν τοῖς τὸν βασίλειον οἶκον πληροῦσιν ἀπεδίδου, *poſtea preces ordinarias cum univerſa aula ibi congregata preces ad Deum fundebat.*

Sozom. in proœm. lib. I.

Socr. VII. 22.

Euſeb. vit. Conſt. IV. 17.

Hac

Hac ratione paulatim etiam familia, miniſtri, ſatellites, milites prætoriani pietati aſſuefiunt, & Chriſto lucrifiunt, etiam illi qui alioquin Religioni Orthodoxæ addicti non ſunt. Quē in finem idem Conſtantinus judicavit faciendum ſibi eſſe, ut ipſos milites ſuos in vera pietate inſtitueret. Itaque qui ex militibus jam fideles erant, ſpeciali mandato præcipuè die Dominica templum frequentare tenebantur; quod ut ſine impedimento facere poſſent, otium ac commoditatem eis ad pietatis illud exercitium procuravit. Cæteris autem militibus qui nondum Religionem Chriſtianam deguſtârant, lege edixit ut Dominicis diebus in patentes ſuburbiorum campos exirent, atque ibi ſolennem precationis formulam uno ore atque alta voce ſimul omnes pronunciarent. Neque enim fiduciam in armis collocandam, ſed à Deo ſupplicibus votis victoriam petendam eſſe dicebat. Formulam precandi ipſe linguâ latinâ eis hanc præſcripſit, quam à tanto principe profectam operæ precium eſt apponere: *Te ſolum Deum agnoſcimus; te Regem profitemur; te adjutorem invocamus; per te victorias conſecuti ſumus; per te hoſtes ſuperavimus; abs te & præſentem felicitatem conſequutos nos eſſe fatemur, & futuram adepturos ſperamus. Tui omnes ſupplices ſumus, abs te petimus, ut Conſtantinum Imperatorem noſtrum una cum piis ejus liberis quam* Euſeb. ib. c. 19. 20.

 diutiſ-

diutiſſimè nobis ſalvum & victorem conſerves. Ab his pietatis exercitiis cultuque divino abſtinere non debet Princeps etiam belli tempore, atque in caſtris non minus quam domi : nam tunc, ſi unquam, auxilio & benedictione divina opus habet. Qua parte defunctus etiam
Sozom. l. 8. eſt præclarè idem Conſtantinus. Nam quoties in caſtris agebat contra hoſtes, ſecum circumferebat, σκηνὴν εἰς ἐκκλησίαν εἰκασμένην, *tentorium ſeu tabernaculum in templi formam paratum*; ad eum finem, ait Sozomenus, ut neque ſibi in ſolitudine conſtituto nec exercitui deeſſet locus in quo Deum colere, laudare, invocare, & ſacrorum myſteriorum participes fieri poſſent. In eum finem comitabantur exercitum etiam Epiſcopi atque Diaconi, qui conſueta munera obirent. Id quod ex eo tempore adeo in uſum venit, ut militares Romanorum ordines ſinguli ſibi tabernaculum ſeparatim pararent, haberentque ſecum miniſtros verbi divini qui ordinarie res ſacras obirent. Hoc unum eſt.

4. Secundo loco obſervandum eſt Orthodoxo Principi aut Magiſtratui, quandoquidem pænes eum eſt poteſtas leges ferendi; ut caveat ſibi ne ferat leges quæ verbo Dei, pietati ac honeſtati Chriſtianæ reluctētur. Quod non animadvertiſſe Orthodoxum Imperatorem
Socr. IV. 26. rem Valentinianum Majorem refert Socrates.

tes. Hunc enim, cum Severæ conjugis imprudentia & ſtultitia, (quam ut auribus parcam ætatis infirmioris commemorare nolo) nec non propria libidine impulſus conſilium cœpiſſet ſuperinducendi Iuſtinam inferioris cōditionis virginem, neutiquam tamen repudiata Severa, ex qua Gratianum jam ſuſceperat, legem tuliſſe qua liberum fecerit unicuique, *δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, duas legitimas habendi uxores:* qua lege promulgata Iuſtinam ſuperinduxit. Hîc ego non diſputabo, veréne an ſecus hanc legem tribuat Valentiniano Socrates. Hoc ſaltem monebo, Baronium qui eo *Baron.*
nomine flagellat Socratem & mendacii ar- *annal. ad an. 370.*
guit, afferre quidem argumenta aliquot quibus falſitatis convincere Socratem nititur: ſed ea argumenta ſolidi nihil habent. Videtur ipſi inter alias cauſas ideo falſum id eſſe; quod rem adeo novam ac turpem haud dubiè non tuliſſent in Valentiniano Epiſcopi, ſed eum cenſura notaſſent. Atqui non potuit meo quidam judicio (qui ut nullius ita nec Baronii eruditioni quicquam detractum volo) ignorare Baronius, & ante Valentinianum morem hunc turpiſſimum duas uxores ducendi (quas hic præclare ſcilicet Valentinianus vocat *ἐννόμους, legitimas.*) fuiſſe inter multos, qui ex Iudæis ad Chriſtianiſmum converſi erant; & irrepſiſſe etiam inter Chriſtianos, adeo ut poſt

 Valen-

Valentiniani ætatem res inter Magnates & Nobiles in morem abierit, prout de hac re etiam atque etiam conqueritur anima piiſſima Salviani: *Res*, inquit inter alia, *ad tantam turpitudinem venit, ut ancillas ſuas multi uxores putent: atque utinam ſicut putarentur eſſe quaſi conjuges, ita ſolæ haberentur uxores! Illud magis tetrum ac deteſtabile, quod quidam matrimonia honorata ſortiti, alias ſibi rurſum ſervilis ſtatus conjuges ſumunt, deformantes ſancti connubii honorem* &c. Et ex eo infert Nobiles pejus vivere mancipiis; eo quod illud flagitium inter Nobiles non autem ſervos reperiatur. *Ecce enim*, inquit, *ab hoc ſcelere vel maximo prope omnis ſervorum numerus immunis eſt. Nunquid enim aliquis ex ſervis turbas concubinarum habet? nunquid multarum uxorum labe polluitur, ut canum vel ſuum more* &c. Et haud veriſimile eſt Socratem auſum fuiſſe adeo impudenter mẽtiri & tale factum affingere Valentiniano, cujus tempore ipſe etiã Socrates vixit; maxime cùm mendacii coargui potuiſſet ab unoquoque hominum. Nam ait Valentinianum id edictum κατὰ πόλεις per ſingulas urbes promulgaſſe. Quare valde metuo ne ſtudio contradicendi Baronius ibi Socratem taxet; cui iniquus & ipſe & alii ex Romanenſibus ſunt; quia quędam eorum doctrinæ contraria manifeſtiſſime habet. Quicquid ſit, contendere de eo teſtimonio Socratis nolo. Nam ſi id Valentinia-

Salvian. lib. 4. de provid. & lib. 7.

nus

nus non fecit, etiam nec facere debuit: per conſequens Princeps omnis à ſimilibus legibus, hoc eſt, quæ verbo Dei contrariæ ſunt ferẽdis abſtinere debet. Si autem Valentinianus non ſolum duas conjuges duxit, ſed etiam talia matrimonia edicto ſanxit, peſſime fecit: adeoque exemplum & lex Valentiniani Spiritum Ochinianum & alios non juvat, qui auctoritate Imperatoris illius bigamiam tueri volunt. Nam repugnat legi divinæ: *Et erunt dùo in carnem unam*: item; *ab initio non erat ſic.* *Ochinus Dial de conjugio.*

5. Caveat igitur ſibi princeps à talibus legibus ferendis; imo contra potius ubi vel legem ſancitam à prędeceſſoribus vel conſuetudinem introductam à populo intellexerit quæ legi divinæ ac pietati Chriſtianæ repugnat; ipſius eſt eam abrogare. In quam rem neceſſum eſt, ut accurate inquirat, quæ conſuetudines, quæ leges ſint locorum, quę ſub ipſius poteſtate ſunt: ſpeciatim quando ad urbem aut locum venit, in quo ordinarie non habitat, cognitionem earum capiat. Ita factum à verè Magno Theodoſio, qui cum Romam veniſſet, etſi ad exiguum ſaltem tempus ibi ſubſtiterit, tamen ejus rei curam principe dignam habuit. Erat Romæ ab antiquo conſuetudo puniendi adulteras, pœna tali quæ ſcelere ipſo flagitioſior ac turpior erat. Non enim correctione, ſed augmento criminis caſtigabantur, anguſtis *Soc. v. 18.*

lupanaribus in publico incluſæ & proſtitutæ ad tintinnabuli ſonitum, quo omnibus conſtaret execrandi ſupplicii actus. Ταῦτα οὐκ ἠνεγκεν ὁ βασιλεὺς πυθόμενος τὴν ἀναιδῆ συνήθειαν, *hoc non tulit Imperator cum intellexiſſet impudentem hanc & turpem conſuetudinem*; ſed deſtruxit lupanaria illa, & alias leges tulit, ſecundum quas punirentur eæ quæ in adulterio deprehenſæ eſſent. Eodem tempore etiam alio dedecore atque ſcelere urbem liberavit. Erant Romæ ab antiquo ædes publicæ ampliſſimæ, in quibus panis pinſebatur qui publicitus væ
num exponebatur, ab iis qui mancipes appellabantur. Hi temporis progreſſu latronum latibula ex ædibus iis effecêre. Nam ut piſtrina ædium illarum in profundo ſita erant, ita ad latera ſingularum ædium cauponę extructæ erant, quas meretricibus elocabāt, quibus multos in laqueos ſuos pertrahebant miſeros, quorum illi neceſſitate cibi capiendi, alii autem libidinis intemperantia eò divertebant. Hi per machinam quandam ex caupona in piſtrinum ſubjectum incauti decidebant: id quod plurimis, præſertim autē peregrinis qui in urbem venerant, contigit. In piſtrina delapſi adeoque capti cogebantur molere, nec exitus iis unquam dabatur, adeo ut ibi multi vitam cum extrema ſenecta finirent, ſuiſque opinionem afferrent, quòd mortem obiiſſent. Evenit

nit,ut cum Theodoſius Romæ,ut dixi,ageret, ex militibus prætorianis quidam in laqueos eos incideret. In piſtrino concluſus, cum exeundi poteſtas ipſi negaretur, diſtricto pugione quem habebat, eos qui ſe egredi prohibebant trucidavit: reliqui rei geſtæ metu perterriti militem dimiſerunt. Imperator re intellecta mancipes gravibus ſuppliciis è medio tolli, ac ædes quæ latronum erant receptacula everti juſſit. Scio exemplum hoc non eſſe conſuetudinis publicæ ſublatæ: quia tamen publici opprobrii correcti memorabile & mirum exemplum eſt; obiter hac occaſione id recitare volui, maximè quia etiam Socrates id cum præcedente in eodem capite connectit.

Peſſimum & inveteratum conſuetudine, imo ſolenne ac publicum flagitium ſuſtulit quoque Romæ Honorius Imperator, pugnas ſcilicet gladiatorias. Nam etſi Conſtantinus Magnus dudum eas edicto ſuſtuliſſet, ac juſſiſſet, μὴ μονομάχων μιαιφονίαις μιαίνειν τὰς πόλεις, *ne gladiatorum impiis cædibus urbes polluerent*; *Euſeb. vit. Conſt. IV. 30.* tamen id edictum vim ſuam ut debebat nequaquam habuit. Erat enim principis iſtius nō dicam fatum, ſed calamitas, ut edicta ipſius ſaluberrima minus obſervarentur. Cauſam unuſquiſque videt; quòd ſcilicet nocentibus ſæpe nimis propitius, adeoque innocenti-

Theod.V. 26. bus & bonis gravis eſſet. Ad Honorium igitur uſque ſolennia erant iſta ſæva ſpectacula; qui tandem ea hac occaſione ſuſtulit. Telemachus pius Monachus Romam venerat, ubi ſceleratum iſtud ſpectaculum ederetur, (ſunt verba Theodoriti) pius ille & innocens vir deteſtatus cruentum ſpectaculum, conatus eſt gladiatores inhibere, quo minus infeſtis armis inter ſe concurrerent. Ibi populus ereptam ſibi aut turbatam Diabolicam voluptatem nolens, lapidibus Monachum obruit. Qua re cognita piiſſimus Imperator, crudele illud ſpectaculi genus penitus ſuſtulit; & Telemachum τοῖς νικηφόροις συνηρίθμησε μάρτυσι, *in Martyrum numerum retulit.* Obſervetur obiter Imperatorem Romanum in Sanctorum numerum retuliſſe Telemachum, non conſulto nec indignante Pontifice Romano.

Maximum etiam probum Chriſtianæ pietatis, ſuſtulit Anaſtaſius Imperator, interdum & utcunque Orthodoxus, in hac tamen re laudandus. Hoc ipſius factum meritò Euagrius, ὑπερμεγέθες καὶ θεῖον χρῆμα, *maximam & divinam rem* appellat, ac in eam rem Thucydidis vel aliam diſertiorem linguam optat; de quâ nos quibus res curæ ſunt, ſolliciti non ſumus. Colligebat Romanum Imperium tributum maximi valoris, ſi ex malorum hominum & non ex divina voluntate atque æſtimatione

Euagr. III.39.

matione

matione precium eſt conſtituendum. Id tri-
butum Chryſargyrum vocabatur, contra-
ctum tum ex aliis qui victum quæſtu ſibi com-
parabant, tum ex meretricibus; qua ratione
recte ait Euagrius, ad flagitium ſollicitata &
velut lege adacta fuiſſe infamia proſtibula.
Qui ad id tributum colligendum deputati e-
rant, ii ſingulis quadrienniis ad ſummum &
primarium Magiſtratum ei negotio deſtina-
tum vim argenti omnem deferebant; quæ
tanta erat, ὡς καὶ μέρος οὐκ ἐλάχιστον τῆς ἀρχῆς κα-
θεστάναι, *ut illa non pro minima parte redituum Im-
perii æſtimaretur.* Cenſores adminiſtrationis
illius non ex vulgo erant, ſed nobiles atque
illuſtres; non minus ac qui alia Reip. mune-
ra obibant ampliſſima. Anaſtaſius rem co-
gnitam & ponderatam ad Senatum refert,
quantum in ea ſcelus poſitum eſſet oſtendit,
atque efficit ut decretum fieret, quo Chryſar-
gyrum tolleretur. Quo facto igni tradit Sche-
das quæ rationum exactionem complecte-
bantur. Sed quia metuebat, ne qui rei admi-
niſtrationem penes ſe habebant, monumen-
ta & capita illius apud ſe retinerent adeoque
ſceleris redintegrandi cum tempore materi-
am, ſimulat ſe non parum dolere, quod inanis
gloriæ ſtudio Reip. utilitatem neglexiſſet &
tam amplum tamque antiquum tributum te-
mere & imprudenter abrogaſſet, non conſide-

ratis

ratis damnis atque periculis,& impenſis, quæ tum in Reip.defenſionem, tum in cultum divinum faciendæ eſſent. Itaque præ ſe fert ſe tributum illud in integrum reſtituere velle. Quare ad ſe evocat eos quibus antea Chryſargyri cura commendata fuerat; declarat ſe pœnitentia duci; non tamen ſcire ſe quid faciendum ſibi ſit, aut quomodo erratum ſuum corrigere poſſit, eò quod chartas combuſſerit in quibus rationes conſiſtebant exactionum. Ibi boni illi viri qui aſſueverant lucri infamis odori, atque id ſibi præreptum dudum, non ut Anaſtaſius fictè ſed verè, doluerant, declarare tributum non poſſe reſtitui. Anaſtaſius hortari atque orare ut in eam rem operam omnem ſuam conferrent, atque perveſtigarent undique ſi ex tabulis publicis quæ forte in ſingulis locis reſervatæ eſſent totius tributi rationem exigere poſſent. Miſit etiam ſingulis Quæſtoribus illius lucri impenſas etiam quæ ad conquirendas chartas neceſſariæ erant, ac præterea juſſit ut quoque Schedulæ authenticæ ad ſe mitterentur. Cùm elapſo aliquo temporis ſpatio ii quibus totius rei ſumma commiſſa erat Conſtantinopolin veniſſent; hilari vultu eos excipit, ut non aliter colligere illi poſſent, quàm eum re ab iis geſta vehementer delectatum fuiſſe. Rogat quâ ratione tabulas reperiiſſent & apud quos; & an quid aliud

tale apud quenquam reliquum eſſet. Aſſeverant illi ſe nihil diligentiæ reliquum feciſſe etiam juramento, nullam Schedam, quæ ejus rei documentum eſſe poſſet in tota Republica Romana reſtare; ibi tum rurſus pyram erexit magnam ex chartis illis & cineres aqua oppleri juſſit, uti nec pulvis nec favilla, nec ullæ reliquiæ ſcelerati tributi ſupereſſent. Atque hæc, de prudentia Eccleſiaſtica Principis Magiſtratuſve, quæ immediate circa Deum verſatur, dicta ſufficiant.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DE PRVDENTIA VETERIS ECCLESIÆ,

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Doctorum & Paſtorum Eccleſiæ prudentiâ quatenus ea immediatè circa veram Religionem verſatur, conjunctim ſecundùm utramque partem conſideratâ.

1. *Quantum proſint Paſtores & Doctores Eccleſiæ præditi zelo veræ Religionis.* 2. *Quantum iidem noceant ſi eo deſtituantur, oſtenditur experientiâ Veteris Eccleſiæ.*

1. SEquitur ut agamus de prudentiâ Eccleſiaſticâ quatenus ſpeciatim iis competit, qui docendi officio in Eccleſiâ defunguntur, Epiſcopis dico, Doctoribus & Paſtoribus Eccleſiæ. Quod igitur utramque illius partem attinet conjunctim, hoc eſt, zelum tùm veritatis divinæ, tum vitæ ſanctitatis; non opus eſt ut prolixi ſimus. Conſtat enim, ſi ab omnibus

nibus in genere hominibus ſpeciatim à Magiſtratu zelus veritatis divinæ & vitæ ſanctæ requiritur; eum magis etiam ab iis exigi, qui alios ad zelum eum ex officii ratione exhortantur. Et notum eſt, quantopere eo nomine verbum Dei Epiſcopos, Paſtores & Doctores Eccleſiæ urgeat, ac quam horrendum judiciũ iis denunciet, ſi contrarium ab ipſis fiat. Quare, omiſſis quæ longè melius ex ſcripturâ didicêre ipſi quam à me dici poſſint, pauca ſaltem ex veteris Eccleſiæ experientiâ de ea re indicabo. Certum igitur eſt, quando Paſtores & Doctores Eccleſiæ, prudentiæ Eccleſiaſticæ parte illa principe præditi ſunt; plurimum illud ad conſervationem & propagationem veræ Religionis facere. Imò non ſolum Eccleſiæ tunc plurimum illi proſunt ſed etiam Reipublicæ, agnoſcente Conſtantino Magno in Epiſtola ad Æmilium: ὧνπερ (loquitur de Epiſcopis ſeu Eccleſiæ Doctoribus) μεγίστην περὶ τὸ θεῖον λατρείαν ποιουμένων, πλεῖστον ὅσον τοῖς κοινοῖς πράγμασι συνοίζειν δοκεῖ *qui ubi Deum ſummo honore & veneratione proſequuntur, plurimum Reip. prodeſſe videntur.* Euſeb. X. 7.

2. Contra ubi prudentia ſeu zelus ille exulat ex animis ipſorum; illud plurimum Religioni, Eccleſiæ & Reipublicæ obeſt. Præſertim autem cauſa eſt ea perſecutionum quibus Deus viſitat Eccleſiam; prout hoc magno ſuo

cum

cum malo antiqua Eccleſia eſt experta. Cujus rei locuples teſtis eſt Euſebius, qui ipſe Epiſcopus cum eſſet, tamen perſecutiones Eccleſiæ divinitus immiſſas ad hanc præcipuè radicem & cauſam revocat; nimirū quod multi Paſtores atque Epiſcopi utraq; parte prudentiæ illius deſtituti fuerint: dū alii hæreſes & errores ſuſcitarunt ac foverunt, adeoq; contentiones in Eccleſiam introduxere; alii in vitæ pietate defecêre. Locus inſignis & patheticus
Euſeb. VIII. 1. eſt; quare partem illius adſcribam. Cum igitur Euſebius deſcripſiſſet, quanta libertate, felicitate & pace ſub Imperatoribus Ethnicis quibuſdam fruita fuerit Eccleſia, addit: poſtquam libertate & pace iſta abuſi in mollitiem delicatam & diſſolutam vitam eſſemus prolapſi; cum alii aliis inviderent, ſe mutuo conviciis inſectarentur, alii in alios linguam veluti arma ſtringerent, Epiſcopi contra Epiſcopos, populi contra populos inſurgerent; cumque ficta & adumbrata ſanctitatis ſpecies invaluiſſet; divina ultio primo pedetentim, ut ſolet, adverſum nos ſeſe concitavit, perſecutione eorum qui ex fratribus militiam ſequebantur. Sed ubi velut ſenſibus orbati curam nullam habuimus Deum placandi, verum tanquam athei eſſemus, res noſtras à Deo non curari & videri putavimus, malitiam malitiæ adjecimus; atque *οἱ δοκοῦντες ἡμῶν ποιμένες τὸν τῆς θεοσεβείας*

θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι illi qui Paſtores noſtri videbantur, depulſa repudiataque pietatis regula, contentionibus mutuis exardeſcerent; quin etiam aliud nihil quam diſcordias, minas, æmulationes, inimicitias, odia ſpirarent; & animis ambitionis æſtu flagrantibus dominari ac primas partes habere ſtuderent, & tanquam ad Tyrannidem aſpirarent: tunc demum juxta Ieremiæ Prophetæ ſententiam obſcuravit in ira ſua Dominus filiam Sion, & dejecit è cœlo gloriam Iſraël, non recordatus eſt ſcabelli pedum ſuorum in die iræ ſuæ; ſed demerſit Dominus omne decus Iſraëlis & demolitus eſt omnes ſepes ejus: & ut Propheta in Pſalmis vaticinatus eſt, avertit fœdus ſervi ſui; profanavit in terra ſanctuarium ſuum; poſuit firmamentum ejus formidinem, diripuerunt multitudines populi omnes tranſeuntes per viam, & propterea factus eſt opprobrium populus vicinis ſuis. Exaltavit enim dextram inimicorum ſuorum, & avertit adjutorium gladii ſui, & non auxiliatus eſt ei in bello &c. Ita Euſebius. Atque hoc unicum ſufficit, ut oſtendatur quantum nobiliſſima illa pars Prudentiæ Eccleſiaſticæ quæ in zelo veræ Religionis, hoc eſt, & veritatis divinæ & vitæ ſanctæ ſtudio ſerio ſimul conſiſtit, iis qui Eccleſiis præſunt ſit neceſſaria.

CAPVT II.

De prudentiâ eorum qui in Eccleſia docent, circa prius membrum illius; nimirum circa zelum veritatis divinæ.

1. *A novandi ſtudio circa dogmata* Orthodoxæ *Eccleſiæ cavere eos ſibi debere oſtenditur.* 2. *Triplex malum graviſſimum quod ex innovatione tali oritur. Diſſidium inde & rupturam Eccleſiæ in tres partes oriri demonſtratur experientia veteris Eccleſiæ.* 3. *Regni Chriſti curſum inhiberi & imminui ex eadem oſtenditur.* 4. *Perſecutionem Eccleſiæ exinde oriri, eadem experientia docetur.*

1. SPeciatim quod ad priorem partem prudentię hujus attinet, quę in zelo veritatis divinæ conſiſtit; neceſſum eſt ut Paſtores & Doctores Eccleſiæ, ſiquidem veræ Religionis conſervatio & propagatio ipſis cordi eſt, caveant ſibi à ſtudio innovandi dogmata Orthodoxæ & veræ Eccleſiæ. Durum hoc auditu & moleſtiſſimum, fateor, ingeniis prurientibus Novitatis ſtudio, ambitione, opinione ſui, contemtu Orthodoxorum Doctorum non vivorum ſolum ſed etiam dudum in Domino defunctorum, contentione deniq; tur-

gidis: ſed tamen, quia verum eſt & ſalubre monitum, dicendum. Cavendum autem eſt ab illo Novitatis ſtudio ob tres præcipuè cauſas, quæ in tribus malis horrendis & graviſſimis conſiſtunt, quę innovatio dogmatum Orthodoxæ Eccleſiæ ſecum trahit.

2. Primum malum eſt diſſidium ac ruptura pacis & concordiæ in Eccleſiâ verâ. Nunquam enim ulla innovatio dogmatis fieri poteſt in Eccleſia, quin ſtatim hæc non in duas, ſed in tres partes ſcindatur. *Prima* factio illius eſt qui dogma novum introducit. Hic enim ubi ſemel litem movit Eccleſiæ, vel quia veram eſſe ſuam ſententiam omnino credit, vel ob pudorem ne victus & erraſſe videatur, vel ob alias cauſas à ſententia ſua diſcedere non vult: ſed quicquid probabilitatis, quicquid artis habet, id eo impendit, ut veram eſſe ſuam doctrinam quàm plurimis perſuadeat. Hinc fit ut, quia homines naturâ novitatis cupidi ſunt, ſectatores inveniat; eoque plures, quia non ſolum Doctor ſed etiam ex populo unuſquiſque ubi ſemel à docente perſuaſus eſt, in id incumbit ut alios in ſuam opinionem transferat. Hinc amicus amico, vicinus vicino, propinquus aut affinis alteri perſuadet ut Novatori accedat. Nam familiaritatis amicitiæ & Naturę vincula in tali negocio plurimum poſſunt: maximè ſi ſpes alicujus boni & contrà

metus alicujus mali accedat. *Secunda* pars illorum eſt, qui receptam doctrinam ut hactenus profeſſi ſunt: ita eam in poſterum quoque defendere parati ſunt, eoque impenſius quo certiores ſunt veritatis Orthodoxæ, & in materiâ quæ in controverſiam venit exercitatiores. Hi enim bona conſcientia deſerere non poſſunt doctrinam quam hactenus ſequuti ſunt. *Tertia* denique pars eorum eſt, qui cum exiſtiment rem de qua controvertitur tanti non eſſe, aut eâ non debere turbari Eccleſiam, neutri parti accedunt, eo prætextu quòd quæſtio, ut ipſi quidem judicant, ſit de phraſi tantum aut voce, de qua ipſi nolint laborare; ſufficere ſibi ſi rem teneant. Hæ tres partes ubi ita in Eccleſia formari cœperunt; dici non poteſt quantopere omnia turbentur. Tunc non templa ſolum ſed & balnea, non Scholæ ſolum ſed & Gynæcéa, aulæ, fora, velabra, compita, naves, plauſtra, domus, thori, diverſoria, convivia plena contentionum. Tunc non viri ſolum ſed & feminæ, non docti ſolum ſed & olearii, nautæ, fabri, aurigæ Theologos agunt; & id quidem tanto majore cum affectu & contentione, quanto major eſt eorum ignorantia. Ibi ſæpenumero cernere eſt principem à ſubditis, uxorem à marito, liberos à parentibus, fratres à fratribus, vicinum à vicino non diſſentire ſolum, ſed etiam diſſidere. Ibi videre eſt eos

qui

qui antea animis conjuncti fuerant in odia ſolvi, ſe invicem damnare, conviciis, exploſionibus, exſibilationibus, dicteriis, ſatyris, famoſis libellis petere. Nec malum id uno in loco ſubſiſtit, ſed ab uno ad alium, ex urbe ad urbem, ex provincia ad provinciam pervagatur. Nam prout quiſque ex ſua urbe quæ jam igni iſto flagrat, ad aliud oppidum ſeu negociorum ſeu animi cauſa excurrit, vel interrogatus vel non interrogatus de ſtatu urbis ſuæ, loqui incipit de diſſidio quod ibi obortum eſt. Cauſam exponit, ac dicit talem Theologum ſtatuere hoc, cæteros contrarium tenere. Ibi cæteri interrogare eum; ſed quo fundamento, inquiunt, ille ita ſtatuit? Alter argumentum unum vel alterum Novatoris utcunque poteſt aut vult exponit. Auditores ubi aliquantiſper hianti ore audierunt hoſpitem ſuum; tandem ex illis unus forte cæteris aut ſtultior aut naſutior in concives intuens; Certe, inquiet, non adeo improbabilis eſt opinio illius: neceſſum eſt ut plura de ea re cognoſcam. Et, mi hoſpes, inquit, nihil ne Typis dedit ille quo ſententiam ſuam exponat & confirmet: nam ſi quid tale extat, utique mihi id comparabo quovis pretio. Aſſentitur huic curioſiori unus forte aut alter etiam reliquorum auditorum. At contra cæteri damnant doctrinam Novatoris una cum ipſo & omni-

 bus

bus qui eum ſequuntur; vocant eum Novatorem, Schiſmaticum, Hæreticum perturbatorem Eccleſiæ & Reipublicæ; qui ſi in hac urbe eſſet! Alter ille contrà inquiet: Ne adeo inclementer, mei vicini, nolite condemnare hominem inauditum; eoque minus, quod ratione nititur non contemnenda paratus cedere ſi melior a doceatur. Noſſe præterea debetis, noſtros Theologos æquè homines eſſe, ac alii qui errare poſſunt. Deus interdum uni homini dedit, quod pluribus non conceſſit. Videmus hoc in noſtris artibus mechanicis. Et vide mihi, ſodes, annon hæc eſt bona ratio, quam ille affert? annon vel cœcus hanc veritatem videat? Ait Apoſtolus in Epiſtolâ. Ibi alter interrumpere, contra contendere, & ubi fortè ſufficiens non ſit ad reſpondendum vicino: Agedum, inquit, Paſtorem noſtrum accedam; qui tibi & tuo Novatori os obſtruet. Tunc fieri poteſt ut Paſtor nihil mali aut cogitans aut conſiderans, forte in Cathedra loci ſui proponat hanc ipſam controverſiam. Dicet eam in vicinia natã; eam confutabit, hortabitur populum ut ſibi ab errore caveat. Ibi tum unuſquiſque mirari novitatem hanc; ex templo ubi diſceſſêre, de eâ re colloqui & conferre, prout in altera urbe factum erat. Præſertim autem Scholæ mutę tunc non ſunt. Adeoque idem ignis contentionum in eo oppido

pido erumpit, qui in altero ortus fuit; & ſic ab urbe ad urbem, à vico ad vicum, à provincia ad provinciam Novitas vagatur, & cum Novitate diſſidium. Nec deeſt interim longe lateque diſſeminandæ ſententiæ ſuæ Novator cum ſociis. Nam ipſe maturè ad alios exteroſve Theologos literas dabit humiliter, obſervanter, modeſtiſſimeque ſcriptas, quibus benevolentiam ipſorum ut captet, laudibus eos eorumque æquitatem, pietatem, veritatis amorem, eruditionem, prudentiam ad ſydera extollet: atque exponet, ipſum ad quem ſcribit intellexiſſe fortaſſis quid diſſidii inter ſe & collegam natum ſit: ſe, quemadmodum de eâ re ſumme doleat ita proteſtari ſanâ conſcientiâ in ſe cauſam illius non eſſe, ſed in collega poſitam eſſe. Nam cum nihil mali cogitans ſed ſolo veritatis ſtudio impulſus in Cathedra ſeu Eccleſiaſtica ſeu Academica tale aliquid dixiſſet, alterum ſibi ſtatim litem ſuper ea re moviſſe, & ſatis pro imperio hortatum eſſe ut in poſterum ita non doceret; hortationi minas adjeciſſe, ſe rem ad eos quorum intereſt, delaturum.

Se quidem ſtudio pacis & concordiæ ex animo cupere, ut aliter docere & collegæ ſuo morem gerere poſſet, maximè quod videat ſibi moleſtias ac negotium ab illo faceſſi ac parari; verum majorem rationem habendam ſibi eſſe

bi eſſe ſuæ conſcientiæ, quæ non permittat ut contra veritatem divinam ſentiat & doceat. Exponet ei ſententiam ſuam, & firmare conabitur illam argumentis quàm maximè poteſt probabilibus. Rogabit igitur eum ut rem hanc in timore Dei probè expendat, nec credat malignis accuſationibus adverſarii ſui: ſed eum per literas exhortetur, ut in negocio eo leniter agat, libertatem prophetandi quàm Dominus Eccleſiæ ſuæ ſibi conceſſerit & quam ipſe collega ſuus ſibi ereptam nolit, ei non eripiat, conſcientiæ alienæ non dominetur, & quod fieri ſibi nõ vult alteri ne faciat. Satis diu Chriſtianum orbem ſub Tyramide Papali fuiſſe, quæ in Eccleſiam introducenda rurſus non ſit.

Hoc artificio rem ſuam vehementer promovet Novator. Nam dum ita opinionem ſuam per literas ad Theologos diſſeminat, ab ipſis Epiſcopis & Paſtoribus de ea re diſputandi initium quoque fit; unde etſi quidam Novatori non accedunt, alii tamen ex ipſis in ſententiam illius pedibus deſcendunt. Ita paulatim etiã conſervos ſuos inficit Novator. Tandem cauſam ſuã publico ſcripto exponit, quod huc illuc per orbem ſerit ac ſpargit. Latius etiam ſerpet & potentius erit diſſidium, ubi illud in aula ipſa incunabula & ortum habuerit. Tunc enim loci dignitas curioſiores reddit homines, & auctoritas illius qui in aula docet,

maximè

maximè ubi conjugem & familiam principis aut ipſum principem faventem ſibi habet; ponderis addit plurimum ipſi doctrinæ. Tantus ignis & qui tam late graſſatur ex parva Novitatis ſcintilla oriri ſolet.

Rem ita ſe habere docet experientia veteris Eccleſiæ, quam ſi cum experientia noſtrorum temporum conferes; non ſolum videbis ovo ovum ſimilius non eſſe, ſed etiam quantum proſit veteris Eccleſiæ caſuum & malorum cognitionem habere; quandoquidem eadem ſcena agitur quæ olim, & quod ante hac malum graſſatum eſt, hodie recurrere atque idem morbus naſci poteſt, qui aut præveniendus aut remedio neceſſario prudenter tollendus eſt. Arii innovatio nobis luculentum exemplum & ſpeculum præbet, in quo geminam faciem videre eſt Novitatis, quando ea in Eccleſiam Orthodoxam introducitur. Dixi in tres partes Eccleſiam ſcindi ex innovatione ſolere. In has ſciſſa fuit Eccleſia cum Arius dogma novum in eam introduxiſſet, cui Concilium Nicenum, τὸ ὁμοούσιον, ex verbo Dei & doctrinâ præcedentis Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ etiam voce ὁμοουσίου uſa fuerat, oppoſuerat. οἱ μὲν, ait Sozomenus, τὴν ἀρχὴν τῷ ὀνόματι ἐναντιωθέντες, ὡς συμβάλλω τοῦτο δὴ τὸ πολλάκις συμβαῖνον, αἰσχύνην ἡγοῦντο δόξαι νενικῆσθαι, *illi quidem, qui ab initio homouſii voci ſe* Sozom. III. 12.

 oppoſue-

oppoſuerant, ideo à ſententiâ ſuâ non deſtitêre, quod meo judicio, ut ſæpe fieri ſolet, turpe ſibi ducerent ſi victi eſſe viderentur. οἱ δὲ καὶ ὑπὸ ἕξεως τῶν περὶ ταῦτα συχνῶν διαλέξεων ἐπὶ τὸ ὧδε δοξάζειν περὶ θεοῦ τραπέντες, ἀμεταθέτως λοιπὸν εἶχον. *Alii vero ob habitum ex crebris de ea re diſputationibus acquiſitum, ac, ut ſic de Deo ſentirent, inducti, in ſententia ſua conſtantes permanſere.* Alii vero ὑπεκκλίνοντο διὰ δύναμιν ἢ οἰκειότητα ἢ ἄλλας αἰτίας ὑφ' ὧν ἄνθρωποι προάγονται τὰ μὴ προσήκοντα χαρίζεσθαι, *à veritate deflexerunt ob potentiam Arianorum, aut ob familiaritatem quam cum iis habebant, aut ob alias cauſas quibus homines ſolent adduci ut ea admittant quæ non decet.* Ecce hic duas partes. Tertia ſequitur: πολλοὶ δὲ λῆρον ἡγοῦντο, τρίβεσθαι περὶ τὰς τοιαύτας ἔριδας τῶν λόγων, ἡσυχῇ δὲ τῆς γνώμης εἶχόν τι τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων. *Multi autem nugas eſſe putabant, in ejuſmodi verborũ concertationibus occupari, & mentem ſaltem Nicenæ Synodi tenere ſe profitebantur.* Ita Sozomenus. Atque huic tertiæ parti erant addicti Epiſcopi plurimi Germaniæ, Galliæ, Britanniæ, ad quos peculiarem librum ſcripſit Hilarius in eum finem; inter alios ut ipſos impelleret non ſolum ad rem, ſed etiam ad vocem Homouſii accipiendam.

Hilar. de Synod. cont. Ar.

Quam etiam velociter ſoleat Novitas omnia loca pervadere, ex eadem Ariana Tragœdia videre eſt. Presbyter ille nebulo cujus ſu-

pra

pra mentionem etiam fecimus, in aula Conſtantii primò Eunuchum primarium Euſebium, mox alios Eunuchos in ſuam & Arii ſententiam perduxit. Horum hortatu, quibus ſe presbyter adjunxit, Imperatrix in eundem errorem incidit. Paulo poſt, ait Socrates, Imperator ipſe rem in quæſtionem vocavit; & mox φανερὸν γίνεται πρῶτον μὲν τοῖς κατὰ τὰ βασίλεια στρατευομένοις· ἔπειτα δὲ διεδόθη καὶ εἰς τὰ πλήθη τῆς πόλεως. διελέγοντο δὲ περὶ τῆς δόξης ἐν μὲν τοῖς βασιλείοις, οἱ ἐπικοιτωνῖται ἅμα ταῖς γυναιξίν· ἐν δὲ τῇ πόλει καθ᾽ ἑκάστην οἰκίαν διαλεκτικὸς πόλεμος ἦν. καὶ ὡς σπινθὴρ ἐκ μικροῦ λαμβάνον τὴν ἀρχὴν τὸ ζήτημα εἰς φιλονεικίαν τοὺς ἀκούοντας ἤγειρεν. ἕκαστος γὰρ τῶν πυνθανομένων τῆς ταραχῆς τὴν αἰτίαν, πρόφασιν εὐθὺς εἶχε ζητήσεως, καὶ ἅμα τῇ ἐρωτήσει ἐρεῖν ἐβούλετο, ἔκ τε τῆς ἔριδος πάντα ἀνατέτραπτο, Socr. II. 2. hoc eſt, *mox controverſia illa innoteſcit prætorianis militibus, inde evulgatur inter populos. Hinc in aula quidem diſputabant cubicularii cum Gynæceo; per urbem autem in ſingulis familiis, diſputatorium bellum erat. Quin etiam pervaſit malum illud velociter ad alias provincias & urbes. Nam controverſia tanquam ſcintilla ex parvis initiis orta audientium animos ad diſcordiam concitabat. Etenim prout quiſque cauſam turbarum ſciſcitabatur, anſam diſceptandi ſtatim habuit, & ſimul ac interrogabat, verba facere de ea re volebat: ita contentione iſta omnia everſa fuerunt.* Sozom. III. 1. Et addit Sozomenus: *quod una cum diſputatio-*

ſputationibus illis, ὕβρεις καὶ ἀπέχθειαι, *contumeliæ ac inimicitiæ ortæ fuerint.*

Quàm denique Novator in ea re ſibi non deſit, & literis ſuis alios Theologos ſibi conciliare nitatur, ac ea quoque ratione doctrinam ſuam propagare, patet ex Arii praxi. Hic enim quod judicaret neceſſarium ſibi eſſe, τὴν εὔνοιαν προφθάσαι τῶν καθὰ πόλιν ἐπισκόπων, *animos præoccupare ſingulorum Epiſcoporum & eorum benevolentiam ſibi conciliare*, ſcribit ad eos literas quibus exponit doctrinam ſuam, rogans ut ſiquidem recta & vetera eſſent quæ doceret, literas ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum darent ac rogarent, ne ipſi moleſtiam facerent: ſi autem rectè non ſentiret, docerent ipſum quid ſentiendum aut credendum eſſet.

Sozom. l. 14.

οὐ μετρίως δὲ ὤνησεν αὐτοὺς τοῦτο τὸ σπουδαζόμενον. διασπαρέντος γὰρ σχεδὸν εἰς πάντας τοῦ τοιούτου δόγματος· κοινῇ τοῖς πανταχῇ ἐπισκόποις ἡ αὐτὴ γεγόνε ζήτησις. καὶ οἱ μὲν ἔγραφον πρὸς Ἀλέξανδρον μὴ προσίεσθαι τοὺς περὶ Ἄρειον, εἰ μὴ τὴν ἑαυτῶν πίστιν ἀποκηρύξουσιν· οἱ δὲ μὴ τοῦτο ποιεῖν ἐδέοντο, ait Sozomenus: hoc eſt, *& hoc quidem artificium non parum ipſum juvit. Nam cum hoc modo diſperſiſſet ſuum dogma ubivis terrarum; omnes ubique Epiſcopi de ea re diſputare cœperunt: quorum illi quidem ſcripſere ad Alexandrum, ut ne Arium ferret in Eccleſia, ni recantaret, & ſuæ opinioni renunciaret; hi autem rogabant ut eum in Eccleſiæ communionem reciperet.*

Et ad-

Et addit Sozomenus: πλείστους ἀγαθοῦ βίου περι-σχήματι σεμνοὺς καὶ πιθανότητι λόγου δεινοὺς συλλαμ-βανομένους τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἄρειον, *plurimos ſpecie pie-tatis & eruditionis laude inſignes viros Arii cauſam ſuam feciſſe.* Atque hoc quidem eſt primum malum quod ex innovatione dogmatis unius aut alterius in Eccleſia Orthodoxa oriri ſo-let.

13. *Secundum* malum eſt; quod quia per in-novationem illam diſſidium in Eccleſiam pe-netravit, Religio vera ludibrio exponitur ad-verſariorum, hæreticorum & infidelium, qui eo modo ab amplectenda veritate abſter-rentur: adeoque per innovationem ſiſtitur curſus veritatis divinæ in cæteris dogmatis, quæ Novator intacta reliquit; & regni Chri-ſti adventus impeditur. Hoc verum eſſe do-cet experientia veteris Eccleſiæ. Cum enim Arius novitatem doctrinæ in Eccleſiam intu-liſſet, Ethnicorum ac Iudæorum ludibrio & deriſioni expoſita fuit Religio Chriſtiana, te-ſte Conſtantino Magno in Epiſtola ad Chre-ſtum; qui ait diſſidium iſtud, τοῖς ἀνθρώποις τοῖς ἀλλοτρίας ἔχουσι ψυχὰς ἀπὸ τῆς ἁγιωτάτης θρε-σκείας, περίφασιν χλεύης διδόναι: *illis qui alieno animo ſunt à Religione Chriſtiana occaſionem ludi-brii & irriſionis præbere.* Et in oratione ad Sy-nodum Nicenam dicebat illam diſſenſionem, τοῖς δυσμενέσιν ἡδονὴν καὶ γέλωτα προξενεῖν, *ad-verſa-*

Euſeb. X 5.

Theod. I. 7.

verſariis voluptatem & riſum concitare. In eadem oratione ait Dæmonem ea ratione objicere, τὸν θεῖον νόμον βλασφημίαις, *Religionem Chriſtianam blaſphemiis.* Et in Oratione qua finem Concilio impoſuit, exhortatur Epiſcopos ut ne ex ipſorum certaminibus, χλεύης αἰτία παρέχηται τοῖς τὸν θεῖον βλασφημεῖν λόγον παρεσκευασμένοις, *riſus cauſa præbeatur illis qui Religionem veram blaſphemare parati ſunt.* Non ſolum autem diſſidiis efficitur, ut infideles ad Religionem non accedant; ſed etiam ut illi qui Religionem veram profitentur ſæpe ab ea deficiant. Alia exempla omittam. Vnum hoc inſtar omnium ſit, quod ob Paulini & Meletii diſſidia, ἡ πᾶσα Ἀντιοχέων ἐκκλησία ἐκινδύνευσε γενέσθαι τῆς Ἀρείου αἱρέσεως, *parum abfuit quin tota Eccleſia Antiochena Arianæ hæreſi nomen daret.* Vt adeo merito Conſtantinus Magnus dixerit, *diſſidium Eccleſiæ omni malo, omni calamitate & quovis bello externo gravius malum eſſe.* Et profecto diſſidium ſuſpectam multis facere ſolet Religionem ſeu vera illa ſeu falſa ſit. Id quod Ariani experti fuerunt ſub Arcadio & Honorio Imperatoribus, ſub quibus multi hæretici Eccleſiæ Orthodoxæ accedebant: contra vero οἱ ἀπὸ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου αἱρέσεως, καὶ ὅτι πρὸς σφᾶς αὐτοὺς ἐδιχονόουν ἑκάστοτε ἐμειοῦντο. πολλοὶ γὰρ ἐκ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἐναντιότητος οὐκ ὀρθῶς

Euſeb. vit. Conſt. III. 12. Ib. c. 20.

Sozom. VI. 2.

Euſ. vit. Conſt III. 12. & IV. 2. & Sozō. I. 18.

Sozom. VIII. 1.

ὀρθῶς αὐτοὺς περὶ θεοῦ δοξάζειν ἐνόμιζον, καὶ πρὸς τοὺς ὁμοδόξους τοῖς κρατοῦσι μετετίθεντο, *Ariani vero & Eunomiani*, ait Sozomenus, *diminuebantur etiam ideo, quod inter ſe ſententiis diſſiderent. Nam multi ex diſſidio quod inter ipſos erat judicabant eorum Religionem falſam eſſe, ideoque adjungebant ſe illis qui in eadem ſententia cum Imperatoribus erant*, hoc eſt, cum *Orthodoxis.*

4. Tertium malum eſt pœna qua Deus ulciſcitur ejuſmodi innovationes. Eſt enim hæc una ex cauſis propter quas Deus pro juſto ſuo judicio perſecutiones immittit Eccleſiæ ſuæ & eam hoſtium furori exponit. Nam quia per ejuſmodi innovationes Eccleſia non ſolum veritate per errorem ſed etiam charitate per contentiones ac diſſidia in plurimis hominibus excidit; hinc Deus qui perpetuo in domum ſuam intentos oculos habet, filios ſuos ubi à tramite recto deflexêre caſtigare ſolet, ne pereant. Experta eſt hoc Eccleſia vetus ſub Maximino Imperatore cujus perſecutionis acerrimæ cauſa inter alia peccata erat hæc: nimirum τὰ ἐν αὐτοῖς ὁμολογηταῖς σχίσματα, *Schiſmata quæ inter ipſos fidei confeſſores erant:* Euſeb. VIII. 22. unde ira Dei accenſa, eoque vehementius quod etiam durante perſecutione καινότερα καινοῖς ἐπινεωτερίζοντες, *nova novis addentes* eſſent.

ſent. Accedit, quod erroris indoles ac natura eſt perſequi recte ſentientes. Impoſſibile enim eſt, quin error ubi potentiam ſibi acquiſivit & rerum potitus eſt, à perſecutione ſibi temperet eorum, qui ei contradicunt: prout oſtendemus cum tempore volente Domino, quando de prudentia veteris Eccleſiæ circa errantes acturi ſumus. Atque hæc quidem mala ita certa ſunt, ut infideles ipſi intelligant quantopere Eccleſiæ obſint, & contra proſint machinationibus eorum contentiones in Eccleſia obortæ. Hinc quemadmodum voluptatem capiunt ex illius diſſidiis, ita contra dolore afficiuntur ubi diſſidium aliquod ſeu Schiſma in Eccleſia compoſitum eſt. Cùm diuturnum Schiſma Eccleſiæ Antiochenæ cõpoſitum tandem fuiſſet, ac Gentiles, Ariani, & Iudei concordiam reſtitutam viderent, ἔστενον καὶ ὠδύροντο, *gemebant & lamentabantur.*

Theod. V. 35.

Quæ cùm ita ſint, unuſquiſq; pius, Eccleſiæ & Religionis amans Theologus videt quid ſibi faciendum ſit. Primò enim, quandoquidem tanta mala ex innovatione dogmatum Eccleſiæ Orthodoxæ oriuntur, caveat ſibi ab innovandi ſtudio, quàm chara eſt ipſi ſalus animæ ſuæ. Deinde quia Novatores mira arte, ſpeciatim qua ſcribendis literis præoccupare conantur aliorum Theologorum animos, uti ſolent ad novitatis ſuæ propagationẽ; uniuſcujuſq; eſt

eſt, quia novit eos illa arte uti, cavere ſibi ab ea & fidem illis non adhibere ubi pertentatur literis ejuſmodi. Facilimum autem eſt cavere ſibi ab arte & verſutia impoſtoris alicujus, quando ea ipſi cognita eſt.

CAPUT III.

Eos qui in Eccleſia docent cavere ſibi debere etiam ab innovatione modorum loquendi & vocum quæ auctoritatem invenerunt in Eccleſia Orthodoxa.

1. *Quatuor mala quæ innovationis hoc genus comitari & ſequi ſolent, commemorantur ex Eccleſiæ antiquæ experientia. Sathanam per vocum, imo etiam unius literæ immutationem doctrinã ipſam evertere conari, & quidem duplici prætextu oſtenditur praxi Neſtorii, Arianorum & Eutychianorum.* 2. *Contentiones in Eccleſia ex vocis mutatione ortæ.* 3. *Ex innovatione modi loquendi proclivem lapſum in hæreſin eſſe.* 4. *Nec non in calamitates privatas graviſſimas confirmatur experiẽtiâ Neſtorii.* 5. *Iuſtini Imperatoris edictum de non mutanda vel ſyllaba in Orthodoxa doctrina.* 6. *Athanaſii inſigne factum nolentis formulam novam Orthodoxam conſcribere aut quicquam innovare, cùm tamen occaſio inſignis ei oblata eſſet.* 7. *Quid facien-*

dum ſit ei qui verius & rectius ſe ſentire quam alii,putat,Conſtantini Magni judicium. 8. Pœnitentia nimis ſera Novatorum ex teſtimonio Ruffini,& experientia Neſtorii.

1. VT autem unuſquiſque cui in Eccleſia docendi partes commiſſæ ſunt, eo rectius cavere ſibi poſſit ab innovatione dogmatum Eccleſiæ Orthodoxæ,caveat ne modū loquendi rejiciat eum,qui etſi in Scripturâ ſacrâ totidem literis & ſyllabis non exſtet,tamen communi conſenſu Eccleſiæ receptus aut decreto Synodi Orthodoxæ adverſus errantes ſancitus, aut per fidei Confeſſionem ac formulas publicas Orthodoxas auctoritatem nactus eſt.

Idque ob has quatuor cauſas. Primò enim Sathanas per everſionem phraſium ac modorum loquendi talium conatur evertere rem ipſam, hoc eſt, doctrinam veritatis ac ſalutis. Nam interdum, quia videt fruſtra futurum ſi manifeſte & directe dogma fidei oppugnet, ob Doctorum Eccleſiæ & populorum unanimem conſenſum, qui illud fortiter,conſtanter,firmiter tenent; hinc novo modo rem aggreditur; ſimulat per ſua inſtrumenta ſe fidem ſeu doctrinam ipſam carpere non velle; tollatur ſaltem loquendi modus, aut vocula, aut litera aliqua; quâ tamen ſublatâ aut immuta-

mutatâ ipſe ſenſus ac doctrina evertitur. Experta eſt hoc vetus Eccleſia ſub Theodoſio II. & Valentiniano III. Nam cum videret Sathanas non ſolum cultum ſimulacrorum quaſi pedibus conculcatum (ſunt verba Evagrii) ſed etiam ſervilem illam Arii inſaniam ab Eccleſia tandem penitus depulſam: περιβαλεῖν μὲν ὡς ἐχθρὸς τῇ πίστει δέδοικεν, ὑπὸ τοσούτων ἁγίων πατέρων πυργωθείσῃ, καὶ τὰ πολλὰ τῆς δυνάμεως ἐν τῇ ταύτης πολιορκίᾳ παρῃρημένος, λῃστρικῶς τὸ πρᾶγμα μέτεισι. ὃ γὰρ πρότερον μόνον ἀντίπαλον εἶχε, νῦν τεθήπεται καὶ περιπτύσσεται· καὶ οὐκ εἰ τοῦ παντὸς ἐξώσει γε φρυαττόμενος, ἀλλ' εἰ καὶ λέξιν τινὰ σπαράττειν οἷός τε γένοιτο; *aperta quidem hoſtilitate fidem oppugnare auſus non* Evagr. l. 1. *eſt à tot ac tantis Patribus ſtrenue defenſam, adeo ut in illius oppugnatione maximam partem copiarum ſuarum amiſerit. Itaque ex occulto furis inſtar & per inſidias rem aggreditur. Quod enim unicè antea oppugnaverat, id jam extimeſcere cogebatur. Ergo non hoc ſuſcipiendum ſibi putabat, ut directè totum aliquod dogma oppugnaret, ſed ut unicam dictionem avelleret.*

Solet autem eum conatum ſuum exequi Diabolus duplici ratione. Etenim prætenditur iſtum modum loquendi eſſe contrarium vel veritati divinæ, vel paci Eccleſiæ. Priori modo uſus fuit Sathanas per Anaſtaſium presbyterum Conſtantinopoli-

tanum, qui primus Neſtorianam hæreſin publicè docere auſus fuit. Is Anaſtaſius nolebat ferre hunc modum loquendi receptum in Eccleſia Orthodoxa, quo Maria virgo vocatur θεοτόκος. Dicebat publicè pro concione θεοτόκον τὴν Μαρίαν καλείτω μηδείς. *Mariam nemo nominet Deiparam.* Addebat hanc rationem, qua volebat oſtendere illum modum loquendi veritati contrarium eſſe: Μαρία γὰρ ἄνθρωπος ἦν· ὑπὸ ἀνθρώπου δὲ θεὸν τεχθῆναι ἀδύνατον, *Maria enim homo erat. impoſſibile autem eſt ab homine Deum naſci.* Neſtorius qui ipſius Epiſcopus erat, cum caſtigare debuiſſet temeritatem eam, ipſi patrocinatur; ejus verba defendit non privatim tantum ſed etiam publicè hac ratione ſeu potius blaſphemia prolata: *Ego eum qui bimeſtris aut trimeſtris fuit, nequaquam Deum appellarim.* Ita Neſtorius quoque improbavit iſtum modum loquendi, quod putaret eum veritati contrarium eſſe.

Socr. VII. 32. Evagr. IV. 2.

Poſteriori modo uſi fuerunt Ariani, ut ſuam hæreſin poſt Concilium Nicenum & mortem Conſtantini Magni in ſcenam rurſus atque majore cum ſpecie producerent. Vocem quippe ὁμοούσιον contendebant expungendam eſſe, quod alioquin pax Eccleſiæ conſtare non poſſet. Hac autem voce eraſa, omnia

tranquilla fore. Sic enim presbyter ille execrãdæ memoriæ nebulo vaferrimus ad Conſtantinum Imperatorem privato colloquio lamentabatur, *τῶν ἐκκλησιῶν τὴν ζάλην*, *Eccleſiarum tempeſtatem*, & illius auctores eſſe dicebat, *τοὺς τὴν ἄγραφον τοῦ ὁμοουσίου φωνὴν ἐντεθεικότας τῇ διδασκαλίᾳ τῆς πίστεως· καὶ τοῦτο καὶ τοῖς ἱερωμένοις καὶ τοῖς πολλοῖς ἐργάσασθαι τὴν διάστασιν*, eos qui vocem *ὁμοουσίου*, *qui in ſcripturis non extet inſeruiſſent doctrinæ fidei; & hinc eſſe diſcordiam illam quâ tam ii qui Eccleſiis præſunt quàm populi laborent.* Ita cum modo loquendi Sathanas rem ipſam evertere conatur. Theod. II. 3.

Quod magis eſt, unius literulæ depravatione & immutatione doctrinam Orthod. evertere laborat. *Πολλάκις τῇ ἑαυτοῦ ἰλυσπώμενος κακίᾳ καὶ γράμματος ἐναλλαγὴν ἐτέχνωσε πρὸς μὲν τὴν αὐτὴν ἕλκοντες διάνοιαν*, *ſæpenumero*, ait Euagr. *ſua ipſius involutus malitia Sathanas unicam literulã ad ipſam ſententiam invertendam immutare ſolitus eſt.* Atque hoc modo, ut idem ait; *τὴν γνώμην τῆς γλώσσης ἀπεμέρισεν, ἵνα μὴ τὴν αὐτὴν ὁμολογίαν τε καὶ δοξολογίαν ὁμοφρόνως ἄμφω τῷ θεῷ προσάγοιεν*, *mentem à lingua ſeparavit, ut ne hæc duo uno velut conſenſu Deo confeſſionem & laudem atque honorem debitum deferrent.* Ita per Eutychianos factum circa ſententiam Concilii Chalcedonenſis, quod confitebatur Chriſtum *ἐν δύο in duabus* naturis, cujus loco Eutychiani Euagr. I. 1.

ἐκ δύο *ex duabus* mutata litera ν in κ, eodem Eva-
Evagr. II. 5. grio teſte; idque malitia βασκάνου καὶ θεομισοῦς δαίμονος, οὗ τὸ ἑνὸς γράμματος ἐναλλαγὴν κακούργως τεχνάσαντος καὶ παρερμηνεύσαντος &c. *invidi & Deo exoſi Diaboli, qui cum unius literæ mutationem vafre procuraſſet, & ſic aliam interpretationem commentus eſſet* &c. Idem agit infenſiſſimus hoſtis veritatis divinæ unius literulæ adjectione. Ita enim Orthodoxam doctrinam de divinitate Chriſti evertit per *Arianos*, qui, ut Severi Sulpitii verbis rem exprimam, *Synodum Nicenam pro ſe interpretantes unius literulæ adjectione corruperant & caliginem quandam injecerant veritati. Nam ubi* ὁμοούσιον *erat ſcriptum, quod unius eſt ſubſtantiæ, illi* ὁμοιούσιον *quod eſt ſimilis ſubſtantiæ ſcriptum eſſe dicebant, concedentes ſimilitudinem dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate ſimilitudo diſtaret: ut verbi gratia pictura humani corporis eſſet homini ſimilis, nec tamen haberet hominis unitatem.* Hæc una cauſa eſt propter quam à modis loquendi Orthodoxæ Eccleſiæ non temere eſt diſcedendum.

Sulpit. lib. 2. an. 357.

2. Secunda cauſa eſt; quia Sathanas, dũ prætextu modorum loquendi aut vocum, veram doctrinam evertere molitur, hoc etiã agit per conſequens ut Eccleſiã in partes ſcindat, diviſiones, diſſidia, contentiones ac turbas excitet. Hoc experta eſt Eccleſia in illis mutationibus vocũ quas Arianos, Neſtorianos & Eutychianos

nos modò introduxiſſe oſtendimus. Et res per ſe clara eſt. Nam quando talis mutatio ſuſcipitur; fit ut quidā in partes Novatoris concedāt, & ejus opinionē acriter animoſeq; tueantur; alii contra non minore animi contētione ſe illi opponant, alii deniq; neutrā partem ſequātur. Adeoq; manifeſtum eſt diviſiones ac diſſidia in Eccleſia ex tali innovatione oriri.

3. Tertio ideo etiam ab iſta innovatione cavendum eſt unicuique qui in Eccleſia docendi partes habet: quia alioquin facile ipſe quādoque etiam imprudens in hæreſin aut errorem per iſtā *καινολογίαν* incidere poteſt. Docet hoc experientia Neſtorii qui dum vocem *θεοτόκος* à vetere Eccleſia ante ipſius tempora uſurpatā (ut ex Origene & Euſeb. Socr. probat) reſpuit, *Socr. VII 32.* hæreſin introduxit, qua Deum ab homine in Chriſto ſeparavit: *καὶ τοῦτο πέπονθεν ὑπὸ ἀμαθίας πολλῆς. Et hoc ipſi accidit ex merâ inſcitiâ*, ait idem Socrates. Erat enim Neſtorius homo natura quidem diſertus & linguâ expeditâ: ſed tamen ſimul etiam indoctus & imperitus antiquitatis Eccleſiaſticæ, teſte eodem.

4. Quarta cauſa denique eſt; quia Novator, ubi in hæreſin incidit aut alium gravem errorem ex innovatione modi loquendi, & Eccleſiam, ut dictum, diſſidio afflixit, ſe ipſum quoque juſto Dei judicio in gravem calamitatem ſæpenumero præcipitat. Quem-

ἐκ δύο ex duabus mutata litera *ν* in *κ*, eodem Evagrio teſte; idque malitia *βασκάνου καὶ θεομισοῦς δαίμονος, οὗ τὸ ἑνὸς γράμματος ἐναλλαγὴν κακούργως τεχνάσαντος καὶ παρερμηνεύσαντος* &c. *invidi & Deo exoſi Diaboli, qui cum unius literæ mutationem vafre procuraſſet, & ſic aliam interpretationem commentus eſſet* &c. Idem agit infenſiſſimus hoſtis veritatis divinæ unius literulæ adjectione. Ita enim Orthodoxam doctrinam de divinitate Chriſti evertit per *Arianos*, qui, ut Severi Sulpitii verbis rem exprimam, *Synodum Nicenam pro ſe interpretantes unius literulæ adjectione corruperant & caliginem quandam injecerant veritati. Nam ubi ὁμοούσιον erat ſcriptum, quod unius eſt ſubſtantiæ, illi ὁμοιούσιον quod eſt ſimilis ſubſtantiæ ſcriptum eſſe dicebant, concedentes ſimilitudinem dum adimerent unitatem, quia multum ab unitate ſimilitudo diſtaret: ut verbi gratia pictura humani corporis eſſet homini ſimilis, nec tamen haberet hominis unitatem.* Hæc una cauſa eſt propter quam à modis loquendi Orthodoxæ Eccleſiæ non temere eſt diſcedendum.

Evagr. II. 5.

Sulpit. lib. 2. an. 357.

2. Secunda cauſa eſt; quia Sathanas, dũ prętextũ modorum loquendi aut vocũ, veram doctrinam evertere molitur, hoc etiã agit per conſequens ut Eccleſiã in partes ſcindat, diviſiones, diſſidia, contentiones ac turbas excitet. Hoc experta eſt Eccleſia in illis mutationibus vocũ quas Arianos, Neſtorianos & Eutychianos

noſmodò introduxiſſe oſtendimus. Et res per ſe clara eſt. Nam quando talis mutatio ſuſcipitur; fit ut quidã in partes Novatoris concedãt, & ejus opinionẽ acriter animoſeq; tueantur; alii contra non minore animi contẽtione ſe illi opponant, alii deniq; neutrã partem ſequãtur. Adeoq; manifeſtum eſt diviſiones ac diſſidia in Eccleſia ex tali innovatione oriri.

3. Tertio ideo etiam ab iſta innovatione cavendum eſt unicuique qui in Eccleſia docendi partes habet: quia alioquin facile ipſe quãdoque etiam imprudens in hæreſin aut errorem per iſtã *καινολογίαν* incidere poteſt. Docet hoc experientia Neſtorii qui dum vocem *θεοτόκος* à vetere Eccleſia ante ipſius tempora uſurpatã (ut ex Origene & Euſeb. Socr. probat) reſpuit, *Socr. VII 32.* hæreſin introduxit, qua Deum ab homine in Chriſto ſeparavit: *καὶ τοῦτο πέπονθεν ὑπὸ ἀμαθίας πολλῆς. Et hoc ipſi accidit ex merâ inſcitiâ*, ait idem Socrates. Erat enim Neſtorius homo natura quidem diſertus & linguâ expeditâ: ſed tamen ſimul etiam indoctus & imperitus antiquitatis Eccleſiaſticæ, teſte eodem.

4. Quarta cauſa denique eſt; quia Novator, ubi in hæreſin incidit aut alium gravem errorem ex innovatione modi loquendi, & Eccleſiam, ut dictum, diſſidio afflixit, ſe ipſum quoque juſto Dei judicio in gravem calamitatem ſæpenumero præcipitat. Quem-

admodum (ut alia exempla præteream) Neſtorio contigit. Hic enim ſuę innovationis circa vocem θεοτόκος præmium hoc tulit, ut Imperatoris Theodoſii ſecundi, qui ipſum non parum dilexerat, gratiâ excideret, ab Eccleſiæ communione ſepararetur, Epiſcopatu Conſtantinop. dejiceretur, in exilium ejiceretur, in quo extremas miſerias, fugas, captivitates, militum inſolentias, migrationes pedibus per loca deſerta conficiendas, quibus nec dignitas ipſius aſſueverat, nec ætas gravis idonea erat;

Evagr. I. 7. & quibus ἐν νοσοῦντι καὶ γεγηρακότι σώματι καὶ τὴν χεῖρα καὶ τὴν πλευρὰν συντριβεὶς, *in ægro & ſenili corpore & manum & latus confractum habuit,* ut ipſe Neſtorius in Epiſtola ad præfectum Thebaidos ſcribit; cujus fragmentum legere poteſt, qui plura de miſeriis Neſtorii ex tanto faſtigio per innovationem vocis delapſi ſcire cupit. Quibus calamitatibus acceſſit tandem miſera mors in exilio.

5. Ex his manifeſtum eſt meritò & non ſine cauſis graviſſimis Iuſtinum II. Imperatorem edicto præcepiſſe, ut ne quis vel unicam ſyllabam in doctrina Eccleſiæ Orthodoxæ de Trinitate mutaret, addita hac ratione, quod in ipſis ſyllabis veritas fidei contineatur. Verba ipſius ſunt: Hortamur &c.

Evagr. V. 4. *Τοῦ λοιποῦ μηδένα προφασιζόμενον περὶ πρόσωπα ἢ συλλαβὰς ζυγομαχεῖν· ὅτι πρὸς μίαν*

καὶ

καὶ τὴν ὀρθὴν αὐτὴν πίστιν τε καὶ ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρουσι *ut in poſterum nemo quocunque prætextu perſonas aut ſyllabas in controverſiam vocet: etenim ad unicam & rectam fidem ac verum ſenſum ſyllabæ pertinent.*

6. Quæ cùm ita ſint, quemadmodum & hoc & præcedente capite expoſuimus: videt primò unuſquiſque pacem Eccleſiæ non in eo conſiſtere ut unicuique liceat innovare dogmata Eccleſiæ Orthodoxæ & Novitates ſuas ſpargere: ſed contrà pacem Eccleſiæ in eo conſiſtere ut unuſquiſque pro officii ſui ratione Novatoribus opponat, & ipſe ſibi caveat ab innovandi ſtudio in Eccleſia Orthodoxa. Et quamvis interdum occaſio ſe ipſi offerat ob auctoritatem quam meritis ſuis in Eccleſia ſibi acquiſivit, aut quam obtinet etiam ob dignitatem qua aliis in Eccleſia docentibus fortè præeſt: tamen caveat ſibi ne auctoritate aut dignitate ſua ad innovandum impelli ſe patiatur. Sed ſequatur potius S. Athanaſii exemplum cui cum occaſio innovandi ſi voluiſſet, commodiſſima oblata eſſet, tantum abfuit ut ea uteretur, ut ne quidem formulam novam fidei conſcribere vellet. Cum enim poſt mortem Iuliani Apoſtatę Iovinianus ſucceſſor ejus in ipſo initio Imperii ſui ad Athanaſium ſcripſiſſet γεγράφῆναι αὐτῷ παρακαλῶν τὴν ἀκριβῆ περὶ τῶν θείων διδασκαλίαν *& rogaſſet ut ſibi formulam*

Theod. IV. 2.3. capp.

mulam conſcriberet fidei ac doctrinæ Chriſtianæ; ipſe Athanaſius novam formulam conſcribere nequaquam voluit , ſed convocata Synodo & communi conſilio cum fratribus habito ἀντέγραψε, τὴν ἐν Νικαίᾳ ἐκτεθεῖσαν πίστιν φυλάττειν παρακαλῶν *reſcripſit & hortatus eſt ut formulam fidei à Synodo Nicenâ conceptam cuſtodiret.* In eum finem Athanaſius & cæteri in Epiſtola Synodica Symbolum Nicénum ad verbum deſcripsêre eique tranſmisêre, addita hac clauſula. Ταύτῃ τῇ πίστει θεοφιλέστατε Αὔγουστε ἐπιμένειν ἀναγκαῖον, ὡς θείᾳ καὶ Ἀποστολικῇ καὶ μηδένα μεταχινεῖν αὐτὴν πιθανολογίαις ἢ λογομαχίαις: *huic fidei, piiſſime Imperator, neceſſum eſt conſtanter adhærere, tanquam divinæ & Apoſtolicæ, & nequaquam eam mutare probabilitate ſermonis & contentionibus verborum.* Bone Deus! ſi multis prurientibus ingeniis tam bella occaſio ſeſe offerret; ut ex mandato Principis Magiſtratuſve ipſis poteſtas fieret præſcribendi quid credendum ſit: quanta monſtra, quantæ novitates erumperent!

7. Quod ſi igitur alicui videatur, ſe in tanta luce Euangelii & veritatis divinæ clarius & oculatius videre in dogmatis fidei, quam cæteri tot ac tanti ſervi Dei hactenus aut ante ipſum viderunt, quibus ipſe nullo modo comparari meretur; ſibi retineat ſcientiam ſuam ac quod putat verius ſeſe ac rectius noſſe: ſe-

quutus

quutus judicium Conſtantini Magni, qui Arium reprehendit, quod contra quam debebat de Deo ſenſum ac opinionem concepiſſet; magis etiam, quod eam opinionem animo conceptam non ſilentio obvolviſſet & apud ſe retinuiſſet. Verba Conſtantini ſunt: σὺ δὲ ὦ Ἄρειε τοῦτο ὅπερ μηδὲ τὴν ἀρχὴν ἐνθυμηθῆναι ἢ ἐνθυμηθέντα σιωπῇ παραδοῦναι. προσῆκον ἦν ἀπροόπτως ἐκτέθεικας: *tu vero, Ari, illud quod initio animo concipere & cogitare non debuiſſes*, aut cogitatum ſilentio tradere debuiſſes *& apud te continere, imprudenter produxiſti.* Et ne quis dicat Conſtantinum Magnum ideò Arium reprehendere, quod ſciret ſententiam Arii hæreticam eſſe quæ certè ſilentio ab ipſo tegi debuerit: ſciat Conſtantinum id ſcripſiſſe ſub initium controverſiæ, cum nondum noſſet hæreticus Arius an eſſet néc ne: ſed putaret, Arium tantundem veri, æqui & boni in ſua doctrina habere, quàm Alexander Orthodoxus Epiſcopus adverſarius ejus habebat, ut ex tota Epiſtola videre eſt. Quam ſuam opinionem de ſtatu quæſtionis ſtatim mutavit, ubi rectè de eo edoctus fuit, & Arium condemnavit atque exilio cum ſociis mulctavit. Non enim unquam Conſtantinus ſententiæ Arii ſeu doctrinæ ejus aſſenſum præbuit, ut ſuprà etiam monui: ſed circa ſtatum quæſtionis initio erravit, adeò ut neſciret de qua re contro-

Euſe. vit. Conſt. II. 67. Socr. l. 4. 3.

controverſia eſſet, tum cum ejus plenam cognitionem nondum ſuſcepiſſet.

8. Hoc conſilium qui jam ſequi nolit, forte olim & cum tempore vellet ſe ei locum dediſſe, Eccleſiam non ſcandalizaſſe, eam in graviſſima mala non conjeciſſe, imò ſibi ipſi calamitates meritas ac judicia Dei non attraxiſſe. Itaque forte vellet aut factum infectum reddere ſi fieri poſſet, aut ſententiam mutare ſi tempus ſententiæ mutandæ haberet, quod ipſi aut calamitatum magnitudine aut morte prævento deerit. Prout Luciferum Calaritanum Epiſcopum, qui Orthodoxam doctrinam antea ſtrenuè propugnaverat & ob eam exilii calamitates perpeſſus erat, fortè voluiſſe Ruffinus exiſtimat. Nam cum offenſus ab Euſebio Vercellarum Epiſcopo ſtatuiſſet contumeliam quam ſibi illatam putabat (ea in eo conſiſtebat quod Euſebius Epiſcopum quem imprudenter Antiochiæ Lucifer ordinarat, deligendum non fuiſſe putabat) Schiſmate ulciſci, prout etiam ab eo factum, dum novas quaſdam opiniones in Eccleſiam invexit; *tandē regreſſus* (ſunt verba Ruffini) *ad Sardiniæ partes, ſive quia cita morte præventus tempus ſententiæ mutandæ nō habuit, etenim temerè cœpta corrigi ſpatio ſolent, ſive hoc animo immobiliter ſederat, parū firmaverim.* Fieri etiam poteſt ut quamvis cum tempore ſententiam mutet; tamen quemadmodum

Ruffin. l. 30.

ipſe

ipſe Eccleſiæ Dei non pepercit, ſed in eam crudelis fuit, dum illam in diſſidium adeoque graviſſimas calamitates conjecit, ita viciſſim homines immiſericordes erga ſe inveniat. Ita Neſtorio infelici contigit, qui cum in Concilio Epheſino vidiſſet quorſum res evaſura eſſet, Palinodiam cecinit: λεγέσθω, φησὶ, καὶ θεοτόκος ἡ Μαρία καὶ παυσάσθω τὰ λυπηρὰ, *Dicatur igitur per me licet*, inquit, *Maria Deipara; ut ita alter alteri negocium amplius non faceſſat.* Sed fruſtra fuit Neſtorius; ſurdis fabulam cecinit. Nam οὐδεὶς αὐτὸν ἐκ μετανοίας ταῦτα λέγοντα προσεδέξατο, *nemo ipſi ex pœnitentia hæc dicenti aures præbere voluit.* Itaque Epiſcopatu Conſtantinopolitano dejectus, & in cæteras calamitates, quas diximus, è tanto faſtigio præcipitatus fuit. *Socr. VII. 33.*

CAPUT IV.

Objectionibus reſpondetur quæ adverſus ſuperiorem doctrinam à Novatoribus afferri ſolent.

1. *Anne novatorem excuſet prætextus veritatis?* 2. *Anne ſe tegere poſſit exemplis Chriſti, Apoſtolorum, Auguſtini, Reformatorum Eccleſiæ?* S. *Ignatii Antiocheni inſignis locus de gratia Dei & libero*

bero arbitrio. 3. Anne Tyrannis ſit impedire novationes in Eccleſia Orthodoxa, & an hoc ſit tollere libertatem prophetandi? 4. Anne quæſtio, quænam ſit Orthodoxa Eccleſia, Novatorem crimine liberet? 5. Quomodo agendum, ubi quæſtio incidit anne hoc vel contrarium doceat Orthodoxa Eccleſia? 6. Anne conſcientiæ bonæ prætextus eum excuſet? 7. Conſilium quo & conſcientiæ ſatisfieri in tali caſu poſſit, & ſimul Eccleſia à graviſſimis malis immunis præſtari.

1. SEd objiciet aliquis innovandi cupiditate in Orthodoxa Eccleſia pruriens: *Primò* ſibi praxin & experientiam Eccleſiæ veteris à nobis expoſitam duobus capitibus præcedentibus nullo modo obſtare. Etenim Arium, Eutychen, Neſtorium & alios ſuis innovationibus ideo damnum intuliſſe maximum Eccleſiæ adeoque condemnationem incurriſſe, quia hæreſes per eas introduxerint: at ſuæ doctrinæ aliam rationem eſſe; ſe enim non errorem aliquem aut damnandam opinionem ſed veritatem divinam tradere. At, inquam ego, Arius & cæteri idem dicebant de ſua doctrina, quod tu de tua opinione. Neque enim dicebant ſe errorem tradere aut ſeminare velle, ſed Orthodoxam divinamque veritatem errori recepto contrariam. Atque ita quidem etiam animo ſentiebant ſeriò, rationibus ſuis

ſuis innixi, imò quod errantibus contingere ſolet pleriſque, qui ἢ συνηθείᾳ τινὶ περὶ τοῦ θεοῦ δόξης, ἢ τῷ οὕτω βούλεσθαι παρειλημμένοι ὡς καὶ πάσας ἰδέας θανάτου παραφρονεῖν ἢ πρὸς τὴν τοῦ ὄντος ἰέναι συγκατάθεσιν *ita aut conſuetudine opinionis circa res divinas aut aliquo affectu ſeu præjudicio præoccupati ſunt, ut omne genus mortis contemnant potius quam veritati aſſentiantur*, ut veriſſimè ait Evagrius occaſione Eutychianæ hæreſeos. *Evagr. II.5.*

Deinde tu quidem dicis tuam doctrinam veram eſſe, adeoque te ſtudio veritatis propalare ſententiam tuam. At verò ſi hoc vere ſtudio veritatis & non ſimulatè dicis, cogita mihi, quæſo, te vera (ita enim dicis) iſta doctrinâ tuâ, quâ dogma receptum in Eccleſia Orthodoxa oppugnas, veritati divinæ plurimum nocere illi, quam nòn oppugnas ſed ipſe admittis ac profiteris. Etenim efficis, quo minus plurimi infideles atque errantes ad cognitionem veritatis & communionem Orthodoxæ Eccleſiæ perveniant. Diſſidio quippe domeſtico plurimum retardatur curſus Euangelii ac regnum Chriſti non propagatur, ſed coërcetur; prout contigit per diſſidia veteris Eccleſiæ, quæ plurimum obſtitêre quo minus Ethnici ad cognitionem veritatis Chriſtianæ pervenirent. Vt jam taceam experientiam noſtrorum temporum quibus curſus Euangelii immane quantum

quantum inhibitus ac retardatus fuit atque etiamnum inhibetur per diſſidia eorum qui Euangelii doctrinam profitentur. Quid? quod non ſolum infideles impediuntur diſſidio, quo minus Eccleſiæ accedant; ſed etiam ex illis ipſis qui veram doctrinam profitentur plurimi eo commoti ab illa deficiunt ad falſæ doctrinæ profeſſionem & falſæ Eccleſiæ communionem? Alii denique diſcordiam videntes, exinde ſuſpicantur nihil in Religionis Chriſtianæ capitibus haberi poſſe certi, adeoque perinde eſſe quicquid de illis ſentiatur. Vnde fit, ut curam veritatis divinæ omnem abjiciant, & ſic nec tuam, quam dicis, veritatem, nec receptam amplectantur. Hic fructus eſt ſtudii veritatis, quod præ te fers.

Præterea ſi tuum tantum eſt ſtudium veritatis, cur potius eo ſtudio uteris contra Eccleſiæ Orthodoxæ dogmata, quàm contra falſam doctrinam Hæreticorum & aliorum infideliũ? Annon ibi major longè & utilior tibi ſeges eſt? Quot enim infideles convertendi? quot errores reſecandi? quot ſectæ confundendæ & confutandę ſunt? Imò cur non potius uteris eo etiam atque etiam, ad docendos eos qui in ipſius Eccleſiæ ſinu gravi ignorantia immerſi opus habent inſtrui in omnibus veritatis articulis quos tu cum Eccleſia Orthodoxa profiteris? Cur denique non uteris eo ſtudio in confir-

confirmandis ac magis magiſque ædificandis illis qui mediocrem eorum cognitionem habent? Dices fortè, te neque illas partes penitus negligere. At, inquam ego, vel una ex iſtis partibus tam ampla tam copioſa eſt, ut cujuſlibet Theologi ſtudium veritatis quantumcunque illud ſit exhaurire & per totam vitam occupare poſſit; & nihilominus tamen ſucceſſoribus materiam relinquere, quæ eorum quoque vitas ad finem uſque mundi exercere poſſit. Amplius dicam, ſi tuum tantum eſt veritatis ſtudium; cur ergo tu ipſe retices eam alia quoque ratione. Dabo te Theologum inſignem eſſe, &, ut Apoſtolus loquitur, *te viæ ducem eſſe cæcis, lucem eorum qui ſunt in tenebris: eruditorem deſipientium, magiſtrum infantium, habere informationem cognitionis ac veritatis in Lege.* Rom. 2: 19. 20. Quãtum tamen putas tibi adhuc deeſſe? quantum exiſtimas te in unoquoque fidei capite adhuc proficere poſſe legendo Scripturam ſacram, ſcripta Eccleſiæ antiquæ, modernæ, nec non volumina adverſariorum; quæ omnia plus quam unius hominis vitam requirunt? Ea lege, ea meditare, ea expende, & videbis te in præſens multa quæ veriſſima ſunt ignorare, & quia ignoras, ea reticere: non ſecus atque veritatem in confeſſo poſitam inter te & Eccleſiam Orthodoxam, apud infinitos errantes retices, ut modo dixi. *Qui igi-*

tur doces alium, te ipſum non doces?

Addo his: Te quidem dicere tuam opinionem veram eſſe: ſed ſi res probè & exactè ad Lydium lapidem veritatis examinetur ab iis qui æquè oculati ut non dicam oculatiores ſunt quàm tu te eſſe putas; deprehendetur non veritas ſed falſitas eſſe. Certè quæ hactenus aut à ſe aut ab aliis Novatoribus prolata ſunt argumenta pro ſuis opinionibus contra dogmata Eccleſiæ Orthodoxæ, vana ſunt, Sophiſmata mera & cavillationes, uti ab Orthodoxis Theologis ſæpius oſtenſum. Stat enim firma Orthodoxa doctrina, ut quæ verbo Dei unicè veréque tanquam fundamento innititur: & quæ ratiocinationes ipſi opponuntur nihil aliud ſunt quàm fumus qui ſeſe extollit adverſus cognitionem Dei. Imò tu fortè ipſe meliora cum tempore edoctus deprehendes te erraſſe: at interim errore tuo in maximum malum, hoc eſt, in diſſidium & perſecutionis flagellum Eccleſiam conjeciſti, curſum regni Chriſti inhibuiſti, multarum animarum, quæ aut ad Eccleſiam non accedunt aut ab eâ ob diſſidium quod tu excitaſti recedunt, exitium procuraſti. Et hæc quidem mala corrigere tu non potes, etiamſi errorem tuum cum tempore corrigas & ſententiam mutes. Nam factum infectum fieri nequit.

Maximè

Maximè autem ideò difficulter fidem apud cordatos viros&æquè pacis ac veritatis amantes invenies, dum dicis doctrinam tuam veram eſſe: quia ſcilicet in tantâ luce veritatis divinæ, quæ Eccleſiæ ex verbo Dei à tenebris errorum & ignorantiæ Reformatæ affulſit, videri non poteſt: quid erroris ſit in doctrinâ receptâ; quid in eâ corrigi poſſit aut debeat per innovationem tuam, quæ, ut dixi, tantis cum malis conjuncta eſt. Aut fortè doctior, oculatior, ferventior in zelo es, & majore ingenii judiciique vi præditus, in diſcernendo vero dogmate à falſo, quàm tot ac tanti ſervi Dei etiam ſimul ſumti in omnibus regnis & provinciis in quibus Dominus ſibi Eccleſiam collegit, quorum virorum opera in Reformatione Eccleſiæ ſuæ uſus eſt, quam tot etiam ac tam inſignes Theologi Orthodoxi qui iis ante nos ſucceſſerunt, quam denique ii qui etiamnum Eccleſiam Orthodoxam per totum orbem terrarum docent. Illi veritatem iſtam tuam non videre potuerunt; verùm eam contrà tanquam hæreſin, falſitatem, errorem damnarunt, deteſtati ſunt, rejecerunt. Contra horum ſententiam tu quidem ſpecioſi aliquid & probabiliter veri affers, ſed ſolidi nihil; nec in æternum argumenta quibus aut ſuam ſententiam defenderunt, aut tuam oppugnarunt evertes, quicquid tandem garrias.

Sed tu his omnibus longè excellentior & ſublimior Theologus.

Οἷ☉ πέπνυσαι, οἱ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι ſolus ſapis, illi autem te ex longinquo tanquam umbra corpus ſequuntur. Hæc ad iſtam objectionem quæ in veritatis prætextu conſiſtit, dicta ſunto.

2. *Secundò* objicies: Si hæc quæ diximus de innovatione evitanda vera ſint; perperam igitur feciſſe Chriſtum & Apoſtolos qui novam doctrinam in Eccleſiam invexerint: perperam Auguſtinum, qui in doctrina de libero arbitrio & gratiâ Dei ab omnibus præcedentibus Patribus & ſuæ ætatis Eccleſia diſſenſerit, adeoque novam ſententiam invexerit. Perperam denique eos quorum opera Dominus Patrum noſtrorum ſeu avorum ætate in reformanda Eccleſia uſus fuit. Reſponſionis loco dico: Chriſtum & Apoſtolos non mutaſſe aut innovaſſe ullum dogma Eccleſiæ Orthodoxæ, ſed illius dogmata unicè annunciaſſe, explicuiſſe, illuſtriora reddidiſſe: in cæteris dogmata oppugnaſſe Eccleſiæ falſæ quæ ipſum Chriſtum rejecerat. Auguſtinum quod attinet: non is propoſuit doctrinam novam & contrariam omnibus Patribus præcedentibus, ſed vetuſtiſſimam; non ſolum quia verbi Dei eſt, quod docet liberum arbitrium, ſeu & intellectum & voluntatem hominis determinari

minati à Deo ad actionis certam ſpeciem nec indifferentem relinqui in actionibus ſeu civilibus ſeu ſpiritualibus ſeu mixtis externis & internis, efficiendo bona, permittendo mala; ſed etiam quia ante Auguſtinum à Patribus in Eccleſia Chriſtiana promulgata fuit. S. Ignatius Epiſcopus Antiochenus qui circa annum centeſimum decimum à nato Chriſto ſub Trajano paſſus eſt in Epiſtola ad Romanos conceptis verbis dicit, quod nos ex verbo Dei poſt Auguſtinum dicimus, nimirùm: ut vires homini & intus & foris ſuppetant quò velit eſſe, & non ſolùm dicatur ſed etiam inveniatur Chriſtianus; & credat verbo Dei loquenti de inviſibilibus & æternitate eorum oppoſita caducitati rerum temporalium; HOC NON ESSE PERSVASIONIS OPUS SED POTENTIÆ SEV ROBORIS. Et ideò hortatur Romanos ut à Deo petant quò ipſi Ignatio VIRES INTUS & foris ſuppetant, ut non modo dicat ſed & VELIT, non ſolum dicatur ſed & inveniatur Chriſtianus. Verba inſignia ſunt hæc: *μόνον δύναμιν αἰτεῖσθέ μοι ἔσωθεν τε καὶ ἔξωθεν, ἵνα μὴ μόνον λέγω ἀλλὰ καὶ θέλω, ὅπως μὴ μόνον λέγωμαι χριστιανὸς, ἀλλὰ καὶ εὑρεθῶ. ἐαν γὰρ εὑρεθῶ καὶ λέγεσθαι δύναμαι καὶ τότε πιστὸς εἶναι, ὅταν κόσμῳ μὴ φαίνωμαι. οὐδὲν φαινόμενον αἰώνιον. Τὰ γὰρ φαινόμενα πρόσκαιρα· Τάδε μὴ βλεπόμενα, αἰώνια· οὐ πεισμονῆς* *S. Ignat. Ant. Epiſt. Roman.*

σμονῆς τὸ ἔργον, ἀλλὰ μεγέθους ἐςίν. Hoc ſolum petite mihi ut vires & intus & foris ſuppetant mihi, ut non ſolum dicam ſed & velim, non ſolum dicar ſed etiam inveniar Chriſtianus. Vbi enim inventus fuero, etiam dici potero & tunc fidelis eſſe, quando mundo non apparuero. Nihil quod videtur æternum eſt. Nam quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna. Non perſuaſionis hoc opus ſed potentiæ eſt. Scio objici poſſe Ignatii Epiſtolas authenticas non eſſe, ſed vel ſuppoſititias vel corruptas & interpolatas; & ex iis conſtare non poſſe quæ fuerit ſententia Eccleſiæ iſtius temporis. Sed ad iſtam opinionem nos ante decennium ex profeſſo & prolixè reſpondimus in Apologiâ pro Ignatio quam ejus Epiſtolis & Exercitationibus noſtris in eas præfiximus. Accedit quod illi ex Patribus qui diverſum docuerunt; illi & ipſi nonnunquam Auguſtini ſententiam proponunt. Quare ii non cum Auguſtino committendi, ſed ſecum & cum Auguſtino quantum ſalvâ veritate fieri poteſt conciliandi ſunt. Præterea ſententiam Auguſtini in Eccleſiâ jam ante ipſum receptam fuiſſe, patet exinde quòd cùm ab Auguſtino propoſita eſſet, diſſidium nullum in Eccleſiâ concitavit, nemo ex Orthodoxis Auguſtino adverſatus eſt, nemo ei contradixit, nemo de eâ ſententiâ ipſius conqueſtus eſt: & Hieronymus coætaneus ipſius eandem defen-

dit;

dit; Pelagiani tantum & Semipelagiani Auguſtino ſe oppoſuerunt. Denique Auguſtinus eâ ſuâ ſententiâ non propoſuit ſibi oppugnare doctrinam Eccleſiæ Orthodoxæ, ſed Novatorem Pelagium, qui in Orthodoxam Eccleſiam dogmata ſua invehere conabatur. Reformatores ultimæ ætatis hujus quod ſpectat, nec illi quicquam reformatione ſua innovarunt in Orthodoxa Eccleſia, ſed in falſa cujus errores oppugnarunt, & Orthodoxæ Eccleſiæ dogmata velut ex cineribus quibus ſepulta erant produxêre.

3. Tertio inquies; Hanc Tyrannidem eſſe, ac novum (ita enim quidam loqui ſolent) Papatum ſub alio nomine: nimirum ita aſtringere homines formulis Orthodoxis & capitibus doctrinæ Eccleſiæ Reformatæ, ut nihil in iis immutare liceat. Tolli etiam libertatem Prophetandi à Deo Eccleſiæ conceſſam. At, mi vir, primò noſti, nos non hoc velle, quaſi non liceret ullam vocem pro voce, phraſin pro phraſi liberè uſurpare. Modo enim res planè integra maneat, & ſalva doctrina quæ vocibus ac phraſibus proponitur; neque fiat ex verſutia qua ſub prætextu vocis aut Syllabæ res ipſa evertatur; per nos quidem illud licet. Imò hanc libertatem nobis vel in ipſo verbo Dei allegando ac recitando nonnunquam ſumimus. Hanc libertatem ſi non

relinqueremus integram circa formulas fidei unicuique, certè Tyrannis illa foret. At nolle permittere novandi illum pruritum quo multi laborant; hoc verò Tyrannidem eſſe, non antea probabis quam ex verbo Dei oſtendas, hoc jus novandi circa dogmata Eccleſiæ Orthodoxæ tibi à Deo collatum eſſe: id quod in æternum oſtendere non potes. Nam quod libertatem prophetandi à Deo conceſſam eſſe dicis: id verò ad rem non facit. Nec enim libertas Prophetandi in innovatione dogmatum Orthodoxæ Eccleſiæ conſiſtit; ſed in aliis rebus de quibus alia occaſione, volente Domino, ſumus acturi. Adde quod vera Tyrannis eſt, ſtudium innovandi dogmata Eccleſiæ, & quidem Tyrannis violenta & atrociſſima. Nam annon diſſidia, turbas, contentiones in Eccleſia Orthodoxa excitare, & perſecutionem adverſus eam parturire, ipſam diminuere, ejus incrementis obſtare, violentia, injuria ac Tyrannis eſt graviſſima? Præterea τὸ ἔννομον δίκαιον, τὸ δὲ ἄνομον βίαιον; *quod eſt* Xenoph. l. Cyr. p. *legibus conforme eſt juſtum, quod autem legibus adverſatur violentum eſſe* agnoverunt etiam Ethnici. Id quod locum quoque habet circa formulas & decreta Eccleſiæ Orthodoxæ.

Quartò inquies: At fruſtrà de Orthodoxæ Eccleſiæ dogmatis non innovandis quæſtio eſt; cùm quæſtio ante omnia ſit, quænam ſit Ortho-

Orthodoxa Eccleſia? Verùm, bone vir, diciſne te membrum Orthodoxæ Eccleſiæ eſſe necne? Si membrum non es illius; innovare etiam in ea nihil potes, & ſic mihi ad te ſermo non eſt. Agimus enim de prudentia eorum Doctorum qui Orthodoxæ Eccleſiæ membra ſunt. Si autem verè dicis te illius membrum eſſe, certè ſcis & ſimul dicis, quænam illa ſit; adeoque reſponſione ulteriore opus non habes.

5. *Quintò* objicies: Atqui hæc ipſa doctrina quam propono eſt hodiernæ Eccleſiæ Orthodoxæ: non autem illa quam tu doces. Nec enim Eccleſia Orthodoxa docet quod tu doces, ſed quod ego jam profiteor. Hîc verò quæſtio eſt jam non amplius juris ſed facti: Quæritur enim ân Orthodoxa Eccleſia doceat, quod tu profers, an quod ego teneo. Res facilè expediri poteſt. Audiendum enim eſt teſtimonium jam Orthodoxæ Eccleſiæ: atque intelligendum ex illius Doctoribus qui etiamnum vivunt, quidnam illi doceant; quæ ſit Confeſſio Eccleſiarum ſingularum, quam doctrinam à prædeceſſoribus acceperint. Primò igitur audiamus fratres noſtros in hac provincia vel Regno in quo nos vivimus. Si horum teſtimonium tibi diſplicet; ac ei acquieſcere non vis; age audiamus quid exteræ Eccleſiæ quæ nos pro fratribus hactenus agnoverunt

de ea

de ea re in hunc diem uſque docuerint; præſertim illæ, quæ antiquitatis, eruditionis, zeli, conſtantiæ in doctrina laudem majorem habent. Illæ teſtabuntur: ſe ſemper docuiſſe quod aut tu doces, aut ego: aut forte an declarabunt ſe indifferenter utramque tradidiſſe pro diverſitate locorum, & ſe invicem tamen ita toleraſſe ut neutra pars alteri controverſiā ſuper ea re moverit. Quare pro ipſarum judicio, quia tu ad eas provocaſti & cui ego meritò me ſubmiſi, aut tibi aut mihi tacendum eſt; aut ſi utraque ſententia pro diverſitate locorum recepta forte fuerit (ponam enim hunc caſum) libertas utrique relinquenda ſententiā ſuam proponendi, modò id abſque ſcandalo, Schiſmate & diſſidio fieri poſſit: in hoc enim caſu quia ante hac mea doctrina in hac ipſa Eccleſia hujus loci propoſita fuit non autem tua, unde illa ſcandalizatur ſententiâ tuâ quæ ipſi nova eſt, & quam pacis cauſa tacere non vis; ac magis etiam ſcandalizaretur noſtris contradictionibus in futurum, æquum eſt te cedere, & potius in eum locum concedere bona cum venia Eccleſiæ & ſalva fraternitate, in quo tua ſententia forte hactenus obtinuit: non ſecus atque ego ceſſurus tibi fuiſſem ſi tua ſententia prior in hoc noſtro loco obtinuiſſet. Atque hic quidem modus decidendi obortas controverſias, nimirum conferendo doctrinā

cum

cum exterarum nobiliorum præſertim Eccleſiarum doctrina in Vetere Eccleſia Chriſtiana nonnunquam & quidem feliciſſimè abhibitus fuit, ut alibi à nobis volente Domino & cum tempore oſtendetur, ubi id materia propius efflagitarit. Denique quid ſi fortè ſententiæ noſtræ quas tu pugnare credis, inter ſe nequaquam pugnent, ſed nullo negocio & ſalva veritate conciliari poſſint? Solent enim in Eccleſia nonnunquam pugnæ tales oriri, quas nocturnas vetus Eccleſia vocat.

6. *Sextò* denique objicies te ſalva ſeu bona conſcientia opinionẽ tuam reticere non poſſe: te enim ita animo tuo revera ſentire & judicare tuam ſententiam veram eſſe, adeoque conſcientiam tuam abs te exigere ut eam doceas & evulges. Sed primò ſi conſcientiæ tuæ ſtudio veritatem retinere non potes, cur igitur eam retines alia duplici ratione ut ante oſtendimus, & quidem longè periculoſius quàm ſi reticeres apud te veritatem tuam. Tum etiam, quæſo te annon etiam conſcientia tua abs te requirit, ut caveas tibi ne Eccleſiam graviſſimis malis afficias, quæ ſupra commemoravimus, hoc eſt, ne turbas diſſidiaque concites, & perſecutionem ac vim hoſtilem contra eam attrahas? Vbi charitas eſt tua erga infinita Eccleſiæ membra quæ promiſcuè & miſerè affliguntur novitate tuâ, & quę charitas à veritatis

ſtudio

ſtudio inſeparabilis eſſe debet? Charitas, inquam, quæ violatur ſi vel erga unicum hominem deficiat; & tu illius expers es erga infinitos homines ſimul ac ſemel. Atqui debebas meminiſſe illius quod Apoſtolus dicit; *ſi linguis*
1 Cor. 13. 1. 2. 3. *hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum æs reſonans, aut Cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiam, & noverim myſteria omnia, omnemque cognitionem: & ſi habeam totam fidem, adeò ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi inſumam alendis egenis omnia, quæ mihi ſuppetunt, & ſi tradam corpus meum ut comburar, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodeſt.* Nec obſtat ſi dicas; te ita docere ſalutis ipſorum procurandæ ſtudio, in quo vera charitas conſiſtit. Nam & hic merus prætextus eſt. Etenim per diſſidium Eccleſiæ nullius ſalutem promovebis aut procurabis; ſed, ut ante oſtendimus, infinitorum hominũ ſalutem impedies & evertes. Vt jam non repetam ſalutem hominum per errorem, quem ſpecie veritatis introducis, procurari nõ poſſe.

Prȩterea, vide ne te decipias alio etiam modo dum conſcientiam tuam prætexis. Ais eam bonam eſſe, quo, quæſo, fundamento? Annon ideo, quia certo & ex animo credis ſententiam tuam veram, noſtram falſam eſſe? Scio ita ſolere ingenium novandi prurigine laborans, metiri conſcientiam bonam. Sed, bone Deus,

quàm

quàm perperam! Aliud, aliud longè ad bonam conſcientiam requiritur. Neque enim illa in eo conſiſtit ut ſeriò credas rem ita ſe habere ob rationes quas habes: Sed in eo præterea, ut res revera ita ſe habeat; adeoque non tantum videatur vera aut bona, ſed in ſe quoque verè talis ſit. Etenim ea demum conſcientia bona eſt, quæ coram Deo ſubſiſtere poteſt, & teſtimonium coram eo reddere. Hinc Petrus 1. Pet. 3. 21.
dicit *ſtipulationem bonæ conſcientiæ apud Deum.* Vt autem coram Deo teſtari poſſit, neceſſum eſt ut reddat nobis teſtimonium per Spiritum S. docente Paulo: *atteſtante mihi ſimul conſcientia* Rom. 9. 1.
per Spiritum Sanctum. Iam quæro, anne conſcientia erronea adeoq; falſa teſtimonium dare poſſit coràm Deo? aut an conſcientia errans teſtari poſſit per Spiritum Sanctum qui Spiritus non erroris ſed veritatis eſt? Hoc qui non attendit, facile in Iudaiſmũ, Paganiſmum, quamvis hæreſin prolabi poteſt. Nam Pagani exiſtimabant conſcientiam ſuam à ſe poſtulare odium religionis veræ, hoc eſt, Chriſtianæ. Iudæi putabant ſe Chriſtum ſecundùm legem Dei interficere: *Habemus*, inquiunt, *Legem &* Ioh. 19. 7.
ſecundùm Legem hanc mori eum oportet. Chriſtus ipſis reddit hoc teſtimonium eos ex ignorantiâ; Paulus eos *ex Zelo Dei* id feciſſe, ac veritatem rejicere *ſed non ſecundùm ſcientiam.* Appelles Marcionita Hæreticus dicebat eſſe tantum unam

nam perſonam Deitatis, nimirum Patrem; quod *ita animo ſuo perſuaſus eſſet; & juramento aſſeverabat Rhodoni ſe ita credere.*

Euſeb. V. 13.

7. Denique ſi omninò ſalvâ & bonâ conſcientiâ veritatem tacere nō potes: age via tibi patet; quâ & conſcientiæ tuæ ſatisfacere poſſis, & tamen Eccleſiam teque ipſum in graviſſima quæ dixi mala non conjicere. Igitur antequam ſententiam tuam evulges in Eccleſiâ, & inter populos aut incautam juventutem ſpargas; aperi eam per literas Epiſcopis & Doctoribus cæteris inſignioribus Eccleſiæ Orthodoxæ; propone argumenta tua, atque indica videri tibi hunc talem errorem ex Eccleſiâ eliminandum eſſe. Non autem ad unius Eccleſiæ aut Provinciæ Theologos ſcribe; ſed ad variarum aut plerarumque ſi non omnium provinciarum plures. Nam bonum aut malum quod efficies totam Eccleſiam afficiet; ſimul etiam conſcientiæ tuæ eò melius ſatisfeceris (quam dicis requirere ut veritatem tuam evulges) quò ad plures ſcripſeris. Et nunquam tantum moleſtiarum in ſcribendis privatim literis de eâ re impendes, quantum ſi aliter faxis & Eccleſiæ & tibi ipſi conciliabis. Indica ſimul te ideò ad eos ſcribere, quòd metuas ne ſi doctrinam tuam evulges populo aut ſtudioſæ juventuti, facilè ſchiſma in Eccleſiâ oriâtur. Declara, te, ſi videas turbarum materiam, potius

tius ſententiam tuam apud te retenturum, contentum eam expoſuiſſe iis ad quos ſcribis, idque pacis Eccleſiæ cauſâ. Quod ſi igitur eveniat (quod tamen nunquam eveniet; ſed pono hunc caſum quem maximè deſideras) ut opinio tua omnibus placeat inſignioribus præſertim Theologis, benè res habet: Schiſmatis nullus metus eſt; quare confidenter doce, quod animo concepiſti. Si autem ea ab omnibus aut pluribus Orthodoxis rejiciatur; vides utique tunc Schiſmatis periculum & malorum ſegetem in promtu eſſe. Et tunc quidem cave eam divulges. Ita & conſcientiam tuam liberabis; quia ſi vel vera eſſet ſententia tua, ea non tuâ culpâ maneret tecta, ſed aliorum qui permittere nolunt, ut eam proponas, ſed oppoſituri ſe tibi eſſent publicè ſi eam proponeres, unde non poſſent non gravia mala Eccleſiam affligere; & ſimul Eccleſiam indemnem præſtabis maxima illius cum ædificatione & laude tua, quia paci ejus conſuluiſti. Quod ſi excipias: Conſcientiam tuam te obligare ut omnes homines veritatem doceas; ſcito, hunc inſignem eſſe modum proponendi doctrinam aliquam toti Eccleſiæ, quando ea proponitur iis qui totam Eccleſiam docent.

CA-

CAPUT V.

Circa priorem partem prudentiæ hujus quid faciendum ſit ei qui in Eccleſiâ docet.

1. *Circa aſſertionem ac defenſionem ſtrenuam veritatis quæ in Eccleſiâ* Orthodoxâ *docetur, exemplum Damaſi Epiſcopi Romani.* 2. *Eum qui in Eccleſiâ docet potius de veritatis divinæ quã ſui conſervatione debere ſollicitũ eſſe; exemplo Alexandri Conſtantinopolitani.* 3. *Pericula quibus expoſiti ſunt fideles defenſores veritatis divinæ oſtenditur experientia Euſtathii Antiocheni, Silvani Tarſenſis, & Athanaſii Alexandrini Epiſcoporum.* 4. *Remedium adverſus ea pericula proponitur.* 5. *Admiranda providentia Dei circa fideles ac ſtrenuos defenſores doctrinæ* Orthodoxæ, *experientia Dionyſii Alexandrini.* 6. *Athanaſii.* 7. *Baſilii Magni oſtenſa.* 8. *Laudabile Epiſcopi Anonymi exemplum apud Poſſidonium imitandum aſſertoribus veritatis divinæ.*

1. VIdimus à qua re quantum ad veritatis divinæ zelum attinet, cavendum ſit iis qui in Eccleſia Dei docent; nunc videamus breviter & in genere quid contra illis faciendũ ſit in eadem parte prudentiæ Eccleſiaſticæ. Eſt igitur officium eorum omnium veritatem divinam quæ in Eccleſia Orthodoxa docetur tueri, propugnare ac ſtrenuè defendere; nec pati ut quicquam ei quocunque prætextu detrahatur

trahatur. In hunc finem debet, ut Damaſum Epiſcopum Romanum feciſſe Theodoritus commemorat, *πάντα λέγειν καὶ πράττειν ὑπὲρ τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων*, *omnia dicere & facere pro Apoſtolicis dogmatis.* Quod manifeſtum eſt intelligi debere, de iis, quæ ſecundum Deum & juxta prudentiam veritati divinæ conſervandæ ac propagandæ neceſſariam dici debent. Novit enim ac didicit unuſquiſq; verus ſervus Dei in Eccleſia docendi partes habens, ſibi peculiari modo ac inſigni veritatis divinæ cōſervationem ac propagationē commiſſam eſſe.

2. Itaq; ipſius eſt, potius de illius quam vitæ, bonorum, commodorum, honorū conſervatione ſollicitum eſſe: prout ab Alexandro Conſtantinopolitano Epiſcopo factum. Cum enim is videret, artibus quorundam aulicorū præſertim Euſebii Epiſcopi Nicomedienſis, nec nō auctoritate Imperatoris decepti nebulonum iſtorū ſcelere, ſimulatione ac perfidia, Arium Eccleſiæ Dei denuo obtrudi: ſtatim intellexit (quod noſſet ingenia & ſimulationes ſceleſtorum iſtorum) eos hoc agere ut hæreſin Arii denuo in Eccleſiam introducerent. Quare ſibi propoſuit nequaquā permittere, ut Ario lupo pernicioſiſſimo ovile Chriſti dilaniandū objiceretur: atq; in eum finem decrevit impedire, quominus in Eccleſię communionem ille reciperetur. Euſebius autem ei minitari, ſe, nî *Socr. 1. 25.*

T. Arium

Arium in communionem reciperet, effecturũ ut Epiſcopatu Alexand. dejiceretur. Ἀλεξάνδρῳ δὲ οὐ τοσοῦτον περὶ καθαιρέσεως ἔμελλεν, ὅσον ἐδεδίει ἐπὶ τῇ σπουδαζομένῃ παραλύσει τοῦ δόγματος: *Alexander autem non tam ſollicitus erat de rejectione ſui & privatione Epiſcopatus, quàm metuebat ne veritas divina everteretur iſtorum hominum opera ac verſutia.* Et ſic Alexander non deſtitit, ſe pernicioſo conſilio & conatui ipſorum opponere. Quæ res ei etiam feliciter ceſſit: nam pridie ejus diei qua in templum deducendus erat ſolenniter Arius, execrandus ille hæreticus miſere periit, ut conſtat. Tali affectu animoq; erga divinam veritatẽ aſſerendã ac defendẽdã præditus eſſe debet fidelis Dei ſervus.

3. Sed tunc, ut nihil diſſimulem, præparare ſe ſimul debet ad ſubeũda eo nomine pericula varia, incõmoda, calumnias, cõtumelias, convitia, maledicentiã, ignominias, alias calamitates, mortem denique ipſam fortè obeundam. Sciat enim ſibi tunc ab hoſtibus veritatis adeoque à Diabolõ varias ſtrui inſidias, varia parari pericula eoque graviora quo fortius & fidelius ſe gerit in veritate aſſerenda adverſum eos, qui Eccleſiam heterodoxis dogmatis turbare nituntur. Ita Euſtathio Antiocheno Epiſcopo contigit, quem Theodoritus vocat τὸν τῆς ἀληθείας πρόμαχον τὸν μέγαν Εὐστάθιον, *illum veritatis defenſorem, magnum illum*

Theod. l. 1. 21.

Euſta-

Euſtathium: qui cum Orthodoxam doctrinam adverſum Arianos in Concilio Niceno & poſt illud fortiſſimè defendiſſet; illi hoſtilem animum ſuum adverſus eum tantopere palam fecerunt, ut non ceſſarent, uſque dum calumniis eum turpiſſimis opprimerent; & credulum Imperatorem nacti non ſolum Epiſcopatu privarent, ſed etiam in exilium ejicerent. Similiter Athanaſius cum in eadem Synodo ſtrenuè veritatem divinam adverſus eoſdem hæreticos defendiſſet, παρὰ μὲν τῶν τῆς ἀληθείας εὐφημεῖτο προμάχων· τῶν δέ γε ἀντιπάλων Theod. c.
ὡς ἀνταγωνιστὴς, ἐχθρὸς ἐγένετο καὶ πολέμιος, *à veritatis quidem defenſoribus laudem magnam conſecutus eſt; at apud hoſtes Orthodoxæ doctrinæ, tanquam eorum ex profeſſo adverſarius in grave odium & planè capitale incurrit.* 26.
Quod odium quoque illi exſeruere per omnis generis calumnias, artes, & perſecutiones, quibus magnum illum Servum indeſinenter petiêre. Silvanus Tarſi in Idem. lib
Cilicia Epiſcopus, cum egregiè admodum, 11.c.27.
prudenter & ſolide in præſentia Conſtantii Imperatoris os obſtruxiſſet Arianis, adeo ut ne hiſcere quidem poſſent; adeoque laudem & aſſenſum mereretur; nihil inde retulit quam exilii minas & Epiſcopatus privationem. Hoc ſalarium à mundo accipiunt conſtantes & ſtrenui veritatis aſſertores.

4. Quid faciet in hâc re fidus Dei ſervus?

Cogitabit, idem imò gravius Chriſto, Prophetis, Apoſtolis eveniſſe; & mirum nõ eſſe ſi cum Patremfamilias Beelzebub, vinoſum, Samaritanum vocârint, eodem loco domeſticos ipſius habeant. Dicet cum Athanaſio, qui *cum in ejus perſequutiones* (ut Ruffinus loquitur)
Ruffin. l. 14. *univerſus conjuratus orbis & commoti eſſent principes terræ; gentes, regna, exercitus coiiſſent adverſus eum, divinum illud conſervabat eloquium, dicens: Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi inſurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo.* Ne patiatur ſe periculis aut metu quocunque (nedum ſpebus & præmiis) à ſancta hac officii
Matth. 10.28. 29.30. ſui ratione dimoveri. *Non enim metuendi ſunt ii, qui interimunt corpus, animam autem non poſſunt interimere: ſed metuendus eſt is qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennâ. Nonne duo paſſerculi aſſario væneunt, & unus ex eis non cadet in terram ſine Patre veſtro? Veſtri vero etiam capilli capitis omnes numerati ſunt. Ne igitur metuite: multis paſſerculis præſtatis vos.* Hoc admirandum verbum Servatoris noſtri ad ſe quoque pertinere fidus Dei ſervus & aſſertor veritatis certiſſime ſtatuat. Sciat ſe Domino inſervire qui ex morte eripere poteſt, & qui, ſi ex ſuâ gloriâ, ipſius ſalute atque bono Eccleſiæ ſit, eum etiam ex quovis præſentiſſimo periculo eripere volet. Nam etſi Dominus inſignes ac de Eccleſia benemerentes ſervos, nonnunquam propter

nomi-

nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ædificationem, ad majorem felicitatis gradum & Martyrii coronam evehat: tamen ſæpe etiam in hoc mundo remuneratur fidelitatem eorum, ipſos ex inſidiis adverſariorum, procella perſecutionis, aliiſque periculis præſentiſſimis aut miraculoſum aut mirum in modum providentia ſua eripit, & contrà hoſtes eorum confundit. Scriptura ſacra plena eſt hujus rei. Nec antiquitas Eccleſiaſtica exemplis deſtituitur.

5. Ita enim Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus inſignis veritatis divinæ confeſſor & defenſor non ſolùm adverſum Ethnicos, ſed etiam eos qui diſſidia in Eccleſia excitaverant, ex hoſtium manibus mire ereptus eſt, ut ipſe in Epiſtola ad Germanum refert. In Deciana perſecutione Sabinus præfectus Frumentarium miſerat, qui ipſum perquireret. Dionyſius Euſeb. VI. 33. μ. domo pedẽ non movet, ſed in ædib' ſuis commoratus adventũ ejus expectabat. Frumentarius interea circumit vias, fluvios, agros paſſim, ubi latitare forte aut iter facere Dionyſium ſuſpicabatur. Nam domicilium S. Viri adire ſuperfluum putabat; neque enim imaginari ſibi poterat, eum, qui ſciret ſe perſecutione præ cæteris peti, domi manere voluiſſe. Ita Deus mentem ejus velut cœcitate percuſſerat. Vix tandem poſt quartum diem Dionyſius monitus à Deo, qui mirabiliter ſe ipſi quaſi ducem

ſi ducem itineris præbuerat , cum liberis & multis fratribus ſimul exivit. Vides hic unam liberationem divinam quæ ipſi contigit. Altera ſequitur eodem tempore. In fuga igitur divertit in ædes quaſdam, in quas circa occaſum Solis irrumpunt milites, qui ipſum inveſtigabant. Hi captivum Dionyſium cum omnibus qui cum eo erant abducunt. Quid fit? Placuerat divinæ providentiæ, ut quidam ex fratribus, cui Timotheo nomen erat, in fuga neſcio qua occaſione retardatus, non appelleret ad diverſorium eodem tempore cum Dionyſio & cæteris fidelibus. Vnde ſolus ille non prehenſus fuit. Tandem & ipſe advenit ad diverſorium; quò ubi appuliſſet; vidit domum vacuam omnibus, niſi quod famuli Patrisfamilias eam cuſtodirent. Ab his didicit quæ geſta eſſent, captivitatem ſcilicet atque abductionem Dionyſii ac cæterorum. Recedit igitur ocyus Timotheus, ac totus perturbatus fugam capeſſit. Nunc adverte τίς ὁ τῆς θαυμασίας αὐτοῦ οἰκονομίας τρόπος, ait Dionyſius, hoc eſt, *quam admirãdi ſint divinæ providentiæ receſſus!* Incidit forte in Timotheum fugientem ruſticus, qui eum cur ita feſtinaret interrogat? Ille rem ita ut ſe habebat exponit. Ruſticus tunc forte ad nuptiale convivium abibat, quod in ejuſmodi συνόδοις *conventibus* per totam noctẽ extendi ibi locorum ſolet. Hic igitur indicat rem

rem accumbentibus ſeu convivis cæteris. Illi confeſtim omnes relicto convivio conſurgũt, tanquam ſigno dato, & citato curſu ad locum in quo eramus, ait Dionyſius, contendunt, atque cum ingenti clamore impetum in ædes, in quibus à militibus cuſtodiebamur, faciunt. Milites ſtatim in pedes ſe conjiciunt, nobis relictis, qui in ſpondis ſed abſque ſtratis conquieſcebamus. Liberatores illi noſtri ex improviſo nos occupant. Ego, quod putarem latrones illos eſſe qui nos ſpoliatum veniſſent, ex lecto, in quo jacebam induſium ſolum indutus, tendebam illis reliquum veſtitum meum. Illi vero ſurgere me jubent, & ocyus domo exire. Tunc demum cognovi quo fine adeſſent; exclamabam igitur, & ſupplex orabam ut relictis nobis diſcederent; quod ſi autem mihi benefacere cupitis aliquo modo, prævenite eos, inquam, qui me abduxerunt, & caput meum amputate. Cum hæc ego non ſine clamore contenderem; illi me vi lecto extrahũt. Ego me humi ſupinum projicere: at illi manibus pedibuſq; me arreptum domo extrahunt, atque ita demum me iſthinc abducunt. Ita Dominus ſervum ſuum Dionyſium è præſentiſſimo periculo admiranda ſua providentia eripuit; qui tandem placide diem ſuum obiit.

6. Athanaſii vero, quem *μέγιςον πύργον τῆς ἀληθείας*, *maximam turrim ſeu propugnaculum veritatis* Theod. l. 25.

ritatis, vocat Theodoritus, pericula, fugas, exilia, quis fando ſatis dignè exprimere poſſit? Quoties ille ad mortem petitus, tum à reliquis inſidiatoribus, tum ab Imperatore Conſtantio fuit? Quoties anguſtum illi nimis totum imperium Romanum extitit? Quoties tantum nō in ipſis manibus inſidiatorum, in ipſis faucibus leonum fuit? At ex illis omnibus eripuit eum Dominus adeo; ut tandem ab ipſo Imperatore Ethnico homine perditiſſimo Iuliano Apoſtata ex exilio revocatus ad Epiſcopatus ſui adminiſtrationem fuerit. In qua, cum Imperator Valens cæteros Orthodoxos Epiſcopos ſedibus ſuis ejiceret, divina providentia eum adeo tuita eſt, ut Imperator in ſolum hunc manum injicere auſus non fuerit. Tandem Athanaſius ſuperatis graviſſimis pro veritate periculis ac certaminibus victor caput extulit, & placidè domi obdormivit.

Videatur Socr. Theod. Sozom. &c.

7. Baſilius Magnus præclarus etiam veritatis & fortiſſimus aſſertor, ſimiliter ob fidei defenſionem graviſſima pericula incurrit. Sed ut ille veritatem tuebatur, ita veritas divina viciſſim ipſum potentiſſimè tuita eſt. Valens Imperator cum ſanctum illud & fortiſſimum pectus ab inſtituto dimovere non poſſet; extrema ei mortemque intentat. Cum in eo Tyrannus eſſet, filius Imperatoris lethali morbo affligitur. De nocte Imperatrix horrendis viſioni-

Socr. IV. 21.

ſionibus afflicta Imperatori mane narrat quæ in ſomno paſſa erat; addens iſthæc omnia ſibi contigiſſe Baſilii cauſa. Hortatur igitur non ſecus ac Pilatum conjunx, ut Baſilium miſſum faceret, quem ille cuſtodiæ mandârat. Quare ab Imperatore dimiſſus fuit. Ita ex iſta morte ſanctus vir liberatus fuit. Paulo poſt Imperator rerum ante geſtarum oblitus, denuò urgere Baſilium ut à ſancto inſtituto ac veritate aſſerenda deficeret. Hoc cum ei perſuadere non poſſet, jubet ſententiam fieri ac ſcribi de eo in exilium mittendo. Quam cum ſuæ manus ſubſcriptione ratam facere de more conaretur Tyrannus, ne apicem quidem efformare potuit; eo quòd ſtatim calamus, ut chartæ appoſitus erat, finderetur ac contereretur. Arripit ſecundum, mox etiam tertium calamũ eodẽ eventu. Cum nihilominus perſtaret ac pertinaciter ſubſcribere vellet, cõcutitur tota dextra, tremorq; eã occupat tantus; ut metu ſummo correptus, utraq; manu in chartam involaret, & eã in fruſta dilaceraret. Ita rurſus Baſilius periculo miraculoſe ereptus fuit. Adeo ſcil. ubi ordinaria media deſunt, quibus in tuto cõſtituantur fideles ac ſtrenui veritatis aſſertores, ſupra naturam Deus voluntatis ſuæ conſilium eorum liberatione exequitur. Hæc pauca exempla ex plurimis, quæ & divina & Eccleſiaſtica hiſtoria ſuppeditat notaſſe ſufficiat: ex

quibus fideles ſervi Dei animos magis ac magis adverſus quævis pericula ſumere, adeoque in veritatis divinæ aſſertione non minus intrepide quam impigre verſari debent.

8. Quod ſi tamen Deo aliter videatur, & vel mors obeunda ob illius defenſionem ſit, inter alia hoc cogitet homo Dei; quod in pio quodam Epiſcopo familiariſſimo ſuo amico vehementer & crebro laudare ſolebat Auguſtinus. *Ad quem Epiſcopum*, ſunt verba Poſſidonii, *cum viſitandum jam morti appropinquantem veniſſet Auguſtinus, & ille manus geſtu de ſeculo exiturum ſignificaret, atque à ſe illi reſponſum eſſet, adhuc eum Eccleſiæ neceſſarium vivere poſſe; illum, ne putaretur hujus vitæ teneri cupiditate, reſpondiſſe ei; Si nunquam, benè; ſi aliquando, quare non modò?* Porro ecqua ſpeciali ratione ac prudentia in veritatis defenſione verſandum ſit Doctori Eccleſiæ, tunc indicabimus, ubi de prudentia veteris Eccleſiæ circa errantes acturi ſumus.

Poſsidon. vit. Aug. c. 17.

CAPVT VI.

De altera parte prudentiæ hujus, nimirum vitæ ſanctimonia neceſſaria illis qui in Eccleſia docent.

1. *Summa ſanctitas ſecundum judicium Eunomianorum*

rum hæreticorum quæ?. 2. Quintuplex fructus, qui ex Paſtorum vitæ ſanctitate ad veram Religionem & Eccleſiam redit, oſtenditur experientia veteris Eccleſiæ in Alexandro Antiocheno & Chryſoſtomo Conſtantinopolitano Epiſcopis. 3. In Monachis Aegypti & Ciliciæ temporibus Arianis. 4. Rurſus in Chryſoſtomo. 5. Iterum in Chryſoſtomo, Gregorio Nazianzeno, & captivis Chriſtianis inter Barbaros tempore Conſtantini Magni. 6. Nec non Chriſtianis ante perſecutionem Diocletianéam. 7. Idem confirmatur teſtimonio ipſorum hoſtium, judicio ſcilicet & conſilio Iuliani Apoſtatæ, ac praxi Macedonianorum hæreticorum.

1. ALteram partem prudentiæ illius quod attinet, nimirum vitæ ſanctitatem; ea ad conſervationem & propagationem veræ Religionis præ omnibus aliis hominibus, maxime neceſſaria eſt illis, qui in Eccleſia docendi partibus defunguntur. Vnde ea in Scriptura ſacra præcipue illis commendatur: in qua etiam ſingulæ partes vitæ ſanctæ atque inculpatæ adeo diſtinctè & clarè illis proponuntur, ut nihil ſupra. Et profecto fœdius ac turpius nihil eſt, quam eum qui alios vitæ ſanctitatem docet, vitam agere documentis ſuis contrariam: aut aliquem exiſtimare, ſe probè ſatiſque Theologi partibus defungi, quando veri-

veritatem divinam proponit ac tuetur, atque adverſum errantes acutè diſputare poteſt. Eadem eſt inſania vulgi, quod ſæpe ex eo Paſtoris ſui ſanctitatem æſtimat, quia ſubtiliter aut dicaciter ſententiam ſuam contra adverſariam partem tueri poteſt. Hac perverſa judicandi ratione qui utuntur, Eunomianorum hæreticorum veſtigia ſequuntur. Hi enim ὐ

Sozom. VI. 26. κϛ´.

μᾶλλον ἐπαινοῦσι βίον ἀγαθὸν ἢ τρόπον, ἢ τὸν περὶ τοὺς δεομένους ἔλεον εἰ μὴ τὰ αὐτὰ δοξάζοιεν, ὅσον εἴτις ἐριστικῶς διαλέγοιτο καὶ κρατεῖν δοκοίη συλλογιζόμενος· ὁ τοιοῦτος γὰρ εὐσεβὴς παρὰ πάντας νομίζεται: *non adeo laudant vitam honeſtam ac piam converſationem aut miſericordiam erga egenos, niſi eandem cum ipſis ſententiam tueatur; quam ſi quis litigioſus in diſputando atque adeo ratiocinando videatur ſuperiores ferre. Talis enim habetur ab iis ſupra omnes alios homines pientiſſimus.* Aliter judicare debet de vitæ pietate Orthodoxæ Eccleſiæ Doctor, hoc eſt, vitæ ſanctimonia vera & non fucata pietate populo præire debet.

2. Quod ſi faciat, plurimùm inſerviet veræ Religioni conſervandæ ac propagandæ. Exinde enim quinque hi fructus ad veram Religionem & Eccleſiam redundare veteris Eccleſiæ experientia teſtatur: quos Servator noſter paucis, ſed divinis verbis complectitur

Mat. h. 5. 16.

cum Apoſtolos præcipuè hortatur: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera & glo-*

& glorificent Patrem veſtrum in cœlis. Primò enim vitæ ſanctitate confirmat veritatem doctrinæ ſuæ, eique fidem facit. Ita de Alexandro Antiocheno Epiſcopo qui ſub Honorio & Arcadio floruit Theodoritus ait, λόγῳ παιδεύων καὶ βεβαιῶν τῷ βίῳ τὸν λόγον, *verbis docens & vita confirmans verba.* Quemadmodum contra ubi doctrinam Paſtoris non comitatur vitæ pietas; fidem ipſe ſibi derogat, ac illudere tantum populo & contra ſe ipſum concionari videtur. Quam in rem de vitæ ſanctitate qua Chryſoſtomus enitebat, loquens Sozomenus præclare ait: λόγος γὰρ ὑπὸ τῶν ἔργων κοσμούμενος, πίστεως ἄξιος εἰκότως φαίνεται· ἄνευ δὲ τούτων εἰρωνα καὶ τὸν ἰδίων λόγων κατήγορον ἀποφαίνει τὸν λέγοντα, κἂν σπουδάζῃ διδάσκων: *Doctrina enim factis ornata, fide digna merito videtur: quæ ubi abſit, palam fit eum qui docet irriſorem eſſe & ſuam propriam doctrinam falſitatis arguere, utut in docendo dexteritatem ſuam probet.*

Theod. III.6.

Sozom. VIII.2.

3. Vnde per conſequens ſecundo loco fit, ut, ubi Paſtor ſanctè vivit & inculpatè, vera Religio non decreſcat, & regnum Chriſti non diminuitur, ſed homines cõſtantes in veritatis profeſſione permaneant, atque hæreticis & ſeductoribus aures non præbeant. Solet enim populus τῷ βίῳ μάλιστα προσέχειν τὸν νοῦν, *ad vitam docentis maximè reſpicere,* ait Sozomenus, & doctrinam ſequi alicujus, adverſariorum autem

Sozom. IV.26.

tem

tem ſententiam deteſtari, quando videt eum vitæ pietati totum ſeſe dedere. Cauſa eſt: quia ibi judicat veram doctrinam eſſe, ubi converſatio externa & vita inculpate inſtituitur. Hac ratione factum ut vigente Ariana hæreſi & ſeſe in Oriente ubivis diffundente Ægyptii Orthodoxam doctrinam ſequerentur, & Arianis fidem non adhiberent, quod viderent Monachos qui in Ægypto eam profitebantur vitæ ſanctitati ſtudere; ut apud eundem videre eſt:

Sozom. IV.9. ὧν τῇ δόξῃ καὶ τὸ πλῆθος εἵπετο, καὶ τὰς μαρτυρίας ἀληθεῖς ἡγεῖτο, καθόλι ἀρετὴν ἤσκουν καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ ὁ βίος αὐτοῖς ἦν, *quorum* (de Monachis illis loquitur) *ſententiam populus ſequebatur, & teſtimonia eorum vera eſſe judicabat: eo quod virtutem aſſiduè colerent & vitæ pietati ac ſanctitati totos ſe dederent.* Item alibi teſtatur Monachos Ægyptiacos vitæ ſanctitate conſpicuos (tales enim tunc temporis Monachi pleriq; eſſe ſolebant, hoc eſt, & Orthodoxi & verè pii) Niceni Concilii decretis firmiter conſtanterque adhæſiſſe, & contrà Arii doctrinam deteſtatos eſſe.

Idem l. b. VI.19. Τῇ δὲ τούτων μαρτυρίᾳ καὶ τὸ πλῆθος ἑπόμενον ὁμοίως ἐφρόνει, διαλέγεσθαι μὲν καὶ περὶ δογμάτων ἀδολεσχεῖν οὔτε θέλον οὐδὲ ἐπιστάμενον· παρ᾽ ἐκείνοις δὲ πειθόμενον εἶναι τὴν ἀλήθειαν οἳ τοῖς ἔργοις τὴν ἀρετὴν ἐπεδείκνυντο, *horum teſtimonium populus etiam ſequutus idem cum illis ſentiebat, diſputare & garrire de dogmatis nec volẽs nec ſciens; ſed credens*

dens apud eos eſſe veritatem qui factis virtutem conſpicuam faciebant.

Eadem ratione factum, ut Syri, Cappadoces & regionum circumjacentium incolæ ſub Valentiniano & Valente Orthodoxæ doctrinæ conſtanter adhæſerint, & Appollinarii hæreſi infecti non fuerint; rurſus ut Eunomii hęreſis Orientis maximam partem non depopularetur: quod homines viderent monachos ſuos vitæ ſanctitate conſpicuos Orthodoxam doctrinam tueri & Apollinarii atq; Eunomii hæreſibus adverſari. Ita enim idem Sozomenus de Apollinario & Eunomio loquens: *Quod autem illorum dogmata non prævaluerint, & plurimorum animos haud invaſerint, non modò cauſis, quas ſupra recenſuimus*, inquit, *ſed etiam Monachis illius temporis inprimis aſſcribi debet. Nam quotquot in Syria, Cappadocia & regionibus circumjacentibus vitam colebant monaſticam, doctrinæ Orthodoxæ mordicus adhærebant. Parum autem aberat, quin tota illa regio à Cilicia ad Phœnices uſque ſecta Apollinarii, Eunomii autem hæreſi à Cilicibus & monte Tauro ad Helleſpontum fere & Conſtantinopolin infecta fuiſſet. Vterque enim eos inter quos vivebat, tum etiam vicinos facilè ad ſuam opinionem perduxit. At fere idem iſtis accidit, quod ante Arianis acciderat.* τὸ γὰρ τῇ δε πλῆθος τοὺς δηλωθέντας Μοναχοὺς τῆς ἀρετῆς τῶν ἔργων θαυμάζον, ὀρθῶς αὐτοὺς δοξάζειν ἐπίστευε· καὶ τοὺς ἄλλως φρονοῦντας, Idem ib. c. 27.

οἷάγε

ex artificio & ingenii nuda dexteritate aliquem ſenſum attribuere ſcripturæ velle, ſed ita explicare eam quemadmodum rei veritas poſtulat: prout ex ejuſdem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ experientia conſtat in eodem Chryſoſtomo. De quo ibidem ait Sozomenus, quod ea ratione multos ipſum audientes ὁμόφρονας περὶ τὸ θεῖον ἐποίησεν, *ad ſuam ſententiam amplectendam in Religione impulerit*. Et cauſam addit: quod nimirum vitæ ſuæ ſanctitate hominibus eam de ſe opinionẽ concitarit, quod non τέχνῃ τινὶ καὶ δυνάμει λόγου βιάζεται παραπλήσια δοξάζειν αὐτῷ, ἀλλ᾽ ὡς ἔχει ἀληθείας τὰς ἱερὰς ἐξηγεῖτο γραφάς, *quod non artificio & eloquentia homines in ſuam ſententiam adduceret, ſed quod ſacros libros ſincere & vere exponeret*. Experta eſt idem in Gregorio Nazianzeno; qui cum ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam regendam vocatus eſſet, brevi temporis ſpatio (nam mox æmulatione & invidia fratrum qui tantam virtutis & eruditionis lucem ſine invidia adſpicere non poterant inde diſcedere compulſus fuit) quod ibi exegerat, multos ex diverſis ſectis & hæreſibus ad Orthodoxam Religionem non ſolum doctrinâ ſed præcipue vitâ ſuâ convertit. Etenim ibi *brevi tempore*, ait Ruffinus, *tantum ad emendandum populum vetuſtis hæreticorum infectum venenis profecit, ut*

Ibid.

Ruffin. l. II. c. 9.

tunc primum Chriſtiani ſibi fieri viderentur , & novellam lucem veritatis aſpicere , cum Religionis Doctor multa quidem verbis , plura tamen doceret exemplis : nec viderent ab eo diſcipulis aliquid imperari , quod non prius ipſe feciſſet. Sed ubi plurima ſubſequuta invidia eſt&c. Ob eandem cauſam antea ſub Conſtantino Magno multi Barbari ab Ethniciſmo ad verum Deum converſi fuerant. Duxerant hi multos Chiſtianos captivos , qui dum inter Barbaros degerent , *πολιτείαν ἄμεμπτον ἐφιλοσόφουν vitam inculpatam ſummopere colebant.* Barbari
Sozom. II.5. *θαυμάζοντες τοὺς ἄνδρας τοῦ βίου καὶ τῶν θαυμασίων ἔργων , admirati captivos illos ob vitæ ſanctitatem & miranda opera quæ faciebant* , judicabant illos bene ſentire in negocio Religionis , & ratiocinabantur apud ſe , ſibi proſpera omnia ceſſura ſi eos imitarentur in cultu divino. Itaque ab iis inſtituti ac baptizati Eccleſiæ communioni ſeſe adjunxere.

6. Ex his omnibus quintus jam fructus profluit ; nimirum quod ob vitæ ſanctitatem ac pietatem Paſtorum qua & populi incitantur ad eandem colendam , & Religio vera incrementum capit; Dominus pacem ac tranquillitatem Eccleſiæ concedit, atque à perſecutione præſervat, quâ alioquin Paſtorum & populorum peccata ulciſci ſolet, non

non autem tantum pios per eam probat. Experta eſt hoc vetus Eccleſia ante Diocletiani Imperium ſub Imperatoribus, qui Chriſtianos perſecuti non fuerant. Sub iis enim Dominus delectatus pietate Paſtorum & Epiſcoporum quorum exempla populus ſequebatur, halcyonia conceſſit Eccleſiæ; quemadmodum contra ubi à ſanctitatis ſtudio Epiſcopi adeoque etiam populus diſceſſerant, gravem perſecutionem ſub Diocletiano illis immiſit, ut ante ex Euſebio vidimus, ex quo qui volet rem amplius cognoſcere poteſt. *Euſeb. VIII. 1. 2. capp.*

7. Hos fructus adeo inſignes & luculentos ad veram Religionem & populum Dei redire ita certum eſt: ut etiam infideles & Hæretici illud intelligant. Hinc enim vaferrimus ille perſecutor Chriſtiani nominis Iulianus Apoſtata, fatetur in Epiſtola ad Arſacium Pontificem Ethnicum Galatiæ, Chriſtianam Religionem, quam ille *Atheiſmum* ἀθεότητα vocat συνηύξησεν ἡ σεμνότης κατὰ τὸν βίον auxit *ſanctimonia vitæ*, quam Alaſtor ille πεπλασμένην *fictam & hypocriticam* vocat. Quare & ipſi hæretici & infideles, ut ſuos errores animis hominum inſinuare poſſint, eos ſpecie quadam pietatis, quam præ ſe ferunt, decipiunt atque alliciunt. Nam ideo ſub Conſtantio Imperatore Macedonianorum hæreſi non exigua *Sozom. V. 15.*

 multitu-

multitudo hominum tum Conſtantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, Helleſponto & aliis nationibus finitimis infecta fuit, quia τὰ περὶ τὸν βίον ᾧ μάλιστα τὰ πλήθη προσέχει τὸν νοῦν,

Sozom. IV-26. κζ. *vitæ converſationem externam quam populus maxime attendere ſolet non male inſtituebant.* πρόοδος γὰρ ἦν αὐτοῖς σεμνὴ, καὶ παραπλησία Μοναχοῖς ἡ ἀγωγὴ καὶ λόγος οὐκ ἄκομψος, καὶ ἦθος πείθειν ἱκανὸν, *etiam inceſſus gravis illis erat, & vivendi ratio Monachorum ſimilis, oratio non indiſerta, ac actio ad perſuadendum apta.* Et Iulianus Apo-

Id. lib. V. 15. ſtata ex eodem fundamento in Epiſtola allegata queritur culpâ Sacerdotum Ethnicorum fieri, quod Ethniciſmus non ita creſcat ut ille quidem optabat & ſperabat: quare jubet ut Sacerdotes honeſte vivant, ac pietatem Chriſtianorum in converſatione externa imitentur: Quod, inquit initio Epiſtolæ, *Religio Græcanica nondum ex animi noſtri ſententia incrementa capit, in cauſa ſunt hi qui res ſacras tractant* &c. Et paulo poſt: *Cur igitur non potius convertimus oculos ad ea quibus Chriſtianorum Atheiſmus crevit, nimirum ad benignitatem in peregrinos, ad curam quam habent ut mortui ſepeliantur, ad vitæ ſanctitatem quam ſimulant? Quorum ſingula nobis verè exequenda eſſe cenſeo* &c. Item: *Sacerdotes omnes & ſingulos hortare, ne accedant ad theatra, ad ſpectacula, ne in tabernis bibant, ne artem aliquam aut opificium exerceant* &c. *Xenodochea frequen-*

frequentia in ſingulis urbibus conſtitue, ut peregrini noſtra benignitate fruantur &c. Nî hoc fiat, dicit hoc eſſe καταπροέσθαι τὴν εἰς θεοὺς εὐλάβειαν, *prodere pietatem Diis debitam.*

CAPUT VII.

De fructibus qui ex vitæ ſanctitate Paſtoris ad ipſum privatim redeunt.

1. *Calumnias & obtrectationes æmulorum atque adverſariorum vinci ſanctimoniâ vitæ, oſtenditur exemplo captivorum Chriſtianorum ſub Conſtantino Magno, item Alexandri Alexandrini, & Siſinnii Novatianorum Epiſcopi.* 2. *Ob eandem cauſam perſecutores ipſi nonnunquam parcere oſtenditur experientiâ Paulini Antiocheni.* 3. *Mala quæ ad Eccleſiam ex impietate & vitiis Paſtoris redeunt.* 4. *Mala, quæ ad ipſum exinde pertingunt. Conſtantini Magni, Chryſoſtomi, Euſebii de ea re judicium.* 5. *Aureum dictum S. Ambroſii moribundi.*

1. ATque hi quidem fructus ad veram Religionem conſervandam & propagandam nec non ad Eccleſiam ex docentium ſanctitate ac pietate redundãt. Præter hos fructus etiã non exigua commoda hujus vitæ, non ſo-

 lum

lum futuræ atque æternæ, ad ipſos docentes redire, ubi vitam vere piam ſanctamque inſtituunt, experientia docet. Atque inter alia quidem hæc duo præcipue. Primò enim ea ratione hoſtibus veritatis, æmulis ſuis atque inimicis anſam calumniandi ipſos eripiunt, & ora iis obturant. Ita ſub Conſtantino Magno captivi, quorum capite præcedente mentionem, feci dum inter Barbaros agerent, ταῖς ἀρεταῖς τὸν μῶμον ἐνίκων *virtutibus obtrectationem ſuperarunt.* Similiter hac ratione Alexander Alexandriæ Epiſcopus effecit, cum ad Epiſcopatum evectus eſſet ringente & indignante Ario, ut hic malè feriatus homo, τὴν ἀξιέπαινον τοῦ ἀνδρὸς πολιτείαν θεώμενος συκοφαντίας ὑφαίνειν οὐκ ἠδύνατο, *laudabilem & ſanctam Alexandri vitam intuens, calumniam adverſus eum inde contexere nullam potuerit.* Et Siſinnius ſub Arcadio Imperatore Epiſcopus Novatianorum (quibus in fundamento doctrinæ cum Orthodoxis convenientibus liberum exercitium publicum in ipſis urbibus ac nominatim Conſtantinopoli erat conceſſum, & omnis generis officia inſigni cum charitate Orthodoxi exhibebant, prout illi viciſſim faciebant) ἐγένετο σώφρων τὸν βίον, ὡς κρεῖττον εἶναι διαβολῆς *vitam inſtituebat honeſte & pie adeò ut calumniis non pateret.*

Sozom. II. 5.

Theod. I. 2.

Sozom. VIII. 1.

2. Alter

2. Alter fructus eſt, quod ſanctitas vitæ Paſtoris ita afficit hoſtes etiam tempore perſecutionis, ut nonnunquam illi pietatem ejus reveriti, ipſi parcant & ab ejus perſecutione ſibi temperent. Vidit hoc Eccleſia Antiochena ſub Valente perſecutore, qui eos, qui cum Arianis communicare nolebant, Eccleſiis ejiciebat, pecuniis mulctabat, verberibus cædebat, tormentis excruciabat, morte denique varia afficiebat. Cum Antiochiam ille veniſſet, Meletium Epiſcopum in exilium mittit, *Παυλίνου δὲ βίον αἰδεσθεὶς ἐφείσατο, Paulino autem* (qui alter Epiſcopus erat) *pepercit, quod vitæ ſanctimoniam ejus revereretur.* Et ipſe Euzoius Arianus Epiſcopus Antiochenus qui omnia ſub Valente poterat, eum Eccleſia, in qua conventus celebrabat ſuos Paulinus, *αἰδοῖ τῇ πρὸς αὐτὸν, ob reverentiam erga eum*, non ejecit, ait Socrates. *Idem. lib. VI.7.* *Socr. II. 7.9.*

3. Hi fructus ſunt & publici & privati, qui ex ſanctitate & pietate Paſtoris naſcuntur. Vnde contra manifeſtum eſt, quam pernicioſus ſit & Eccleſiæ & ſibi ipſi Paſtor, qui vitam non agit doctrinæ ſuæ reſpondentem. Nam ea ratione fidem derogat doctrinæ ſuæ, efficit ut regnum Chriſti decreſcat dum multi, ſcandalizati vita ejus, partim veram Eccleſiam deſerunt, & ad falſam ſeſe conferunt: partim exemplum ejus imitati, quod

Paſtori licet etiam ſibi licere putant ; adeoque vitam impiam degunt. Abſterret etiam infideles & errantes , quo minus errori renuntient atque veræ Eccleſiæ ſe adjungant , adeoque efficit ut verum fiat de Religione Chriſtiana quod Iulianus paulò ante dicebat de Ethniciſmo , nimirum quod οὐ πράττει κατὰ λόγον ἡμῶν ἕνεκα τῶν μετιόντων , *non procedat & incrementa capiat Religio propter eos qui rés ſacras tractant.* Præterea vita improba & impia Paſtorum una ex præcipuis cauſis eſt , ob quas perſecutionem & varias calamitates Deus populo ſuo immittit , prout id Eccleſia ſub Diocletiano Imperatore experta eſt , cui , ut eam horrendum in modum perſequeretur Deus permiſit pro juſto ſuo judicio inter alias cauſas ob diſſolutam & impiam vitam Epiſcoporum , qui τῆς θεοσεβείας θεσμὸν παρωσάμενοι ταῖς πρὸς ἀλλήλους φιλονεικίαις ἀνεφλέγοντο· αὐτὰ δὴ ταῦτα μόνα , τὰς ἔριδας , καὶ τὰς ἀπειλάς , τόντε ζῆλον καὶ τὸ πρὸς ἀλλήλους ἔχθος καὶ μῖσος ἐπαύξοντες , οἷάτε τυραννίδας τὰς φιλαρχίας ἐκθύμως διεκδικοῦντες *pietatis lege repudiatâ contentionibus inter ſe exarſerant , & hoc unice agebant ut lites , minas , æmulationes , odia , inimicitias accumularent , atque animis ambitionis æſtu incenſis, Epiſcopatus tanquam Tyrannicam aliquam poteſtatem appetebant atque arripiebant* &c.

Sozom. V.15.

Euſ.b. VIII.1.

4. Præ-

4. Præter iſthæc omnia etiam ſibi plurimum nocet Paſtor, qui veræ pietati & ſanctitati vitæ non ſeriò & ex animo ſe totum addicit. Nam præterquam quòd calumniatoribus & adverſariis veritatis divinæ anſam præbet obtrectandi ipſi, & per ipſius latus Religioni Orthodoxæ: etiam Magiſtratui aut Eccleſiæ occaſionem præbet de ipſo malè ſentiendi & conquerendi, imò ipſum reprehendendi aut coërcendi. Id quod profectò ſi aliis hominibus turpe eſt (ut jam nihil dicam quàm noxium ſit) certè Paſtori ignominioſum eſt. Nam ut ſapienter Conſtantinus Magnus in Concilio Niceno dicebat, ἥκιστα χρὴ τοιούτους Sozom. 1. 16.
ἑαυτοὺς παρέχειν, ὡς παρ' ἑτέρου κρίνεσθαι *nequaquam Epiſcopi ita ſe debent gerere ut ab alio judicentur.* Vnde ſe ipſos miniſterio indignos declarant, eoque pro delicti ratione merito privantur. Nam ut ſecundum ſcripturam ſacram Chryſoſtomus verè dicebat (qui ſeverè Epiſcopos caſtigare ſolebat, ſi vita eorum profeſſioni non reſponderet) οὐ χρῆναι τοὺς μὲν τῶν ἱερέων Theod. V. 28.
ἀπολαύειν τιμῆς, τὴν δὲ τῶν ἀληθῶν ἱερέων μὴ ζηλοῦν βιοτὴν *non decere eos ſacerdotali honore frui, qui verorum ſacerdotum vitam non imitantur, certum eſt.* Et ſic denique in judicium horrendum Dei non ſolum in alterà vitâ ſed etiam in hac ipſa incurrit: præſertim ubi perſecutio Eccleſiam invaſit: tunc enim ille præ cæteris a-

cerbitatem illius in ſe ipſo experitur. Ita in Diocletianéa perſecutione contigit, in quo juſto Dei judicio factum, ut illi qui antea Paſtores Eccleſiæ fuerant, ἀντὶ ποιμένων τῶν λογικῶν τοῦ Χριστοῦ προβάτων, ὧν οὐκ ἐνθέσμως προὔστησαν *pro Paſtoribus ovium Chriſti, ratione præditarum, quibus non rectè præfuerant, camelorum curatores & equiſones Imperatorum equis alendis deſtinati fierent*, & alias graviſſimas contumelias, tormenta, ac ſupplicia ſubirent, Deo ita ambitionem, cupiditatem dominandi, profanitatem & alia ipſorum vitia vindicante, ut Euſebius conqueritur.

Euſeb. VIII. 22.

5. Quæ cum ita ſint, eorum eſt qui in Eccleſiâ docent, ut memores præcepti Dominici per Apoſtolum dati *exemplo ſint gregi*. Ita certi erunt, ſe Deo inſignem atque gratiſſimam operam navare, dum eâ ratione veram Religionem conſervant atque propagant; & *ubi Princeps Paſtorum apparuerit recepturos coronam incorruptibilem gloriæ, & coruſcaturos quaſi ſplendor expanſi & ut ſtellæ in ſempiterna ſecula.* Adeoque ubi ipſis ex hac vitâ diſcedendum eſt, ſolari ſe poterunt ea ratione qua moribundus S. Ambroſius, qui *cum à fidelibus, lecto ejus aſtantibus & mœrentibus,* ſunt verba Poſſidonii, *tanti ac talis Antiſtitis Eccleſiam poſſe privari verbi & Sacramenti Dei diſpenſatione, rogaretur ut ſibi à Domino vitæ poſceret commeatum, dixit: Non ſic vixi ut me pudeat inter*

1. Pet. 5. 3. 4.

Dan. 12. 3.

Poſſid. vit. Aug. c. 27.

vos vivere; ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.

CAPUT VIII.

Corollarium de remedio quod ſpirituali ſuperbiæ Sanctus & verè pius miniſter Chriſti opponere debet.

1. *Verum remedium ſuperbiæ ſpiritualis.* 2. *Humanæ infirmitatis in ſanctis viris notabile exemplum in Epiphanio.* 3. *Ineptum & ſtultum remedium ſuperbiæ ſpiritualis à Symeone & Thoma Monachis uſurpatum.* 4. *Concluſio præſentis tractatus.*

1. PORrò ubi ità, ut diximus vitæ ſanctitati ſe totum addixerit & conſecrarit is, qui ſalutis pabulum gregi Dominico proponit: dubium non eſt quin Sathanas conaturus ſit illum in ſpiritualis ſuperbię reatum conjicere. Hoc enim præcipuè telo uti ſolet hoſtis verſutiſſimus adverſus docentes in Eccleſia, ubi vitæ ſanctitate veraque pietate eos fulgentes videt. Nam ut eos à præclara iſta poſſeſſione dejiciat, ac inutiles reddat Eccleſiæ; conatur eos inducere, ut de ſe ipſis ob pietatis ardens ſeriumque ſtudium & præclarè facta magnificè ſentiant. Quare ei providendum eſt, ne infami

infami & turpiſſimo hoc crimine, quod Deo maximè inviſum eſt, vitam ſuam corrumpat, & quicquid benè ab ipſo actum eſt corrumpat. In hunc finem perpetuò cogitet, ſe nihil eſſe & ne momentum quidem abſque gratia divina ſubſiſtere poſſe; ac quicquid habeat, quicquid benè voluerit ac fecerit id in ſolidũ divinæ miſericordiæ gratiæque ſeſe debere: deinde ut ut ſanctitati pietatiq; ex animo ſeſe dedat, nihilominus tamen infirmitatem ſuam in hac vitâ tantam eſſe, ut ſubinde à regia via

Ioh. 1. 8. deflectat, & in Dei præcepta impingat. *Si enim dicamus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.*

Rom. 7. 15. 17. 18. 19. 21. 22. 23. Faciunt igitur etiam ſanctiſſimi *non bonum quod volunt, ſed malum quod oderunt.* Quare? *quia peccatum in ipſis habitat, & in carne eorum non habitat bonum; nam velle adeſt* ipſis, ſed *ut, quod bonum eſt, efficiant non aſſequuntur.* *Non enim facio,* ait Apoſtolus ſanctiſſimus, *bonum quod volo; ſed malum quod nolo, hoc ago. Invenio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impoſitam eſſe, quod mihi malum adjaceat. Delector enim lege Dei, quod ad interiorem hominem. Sed cerno aliam legem in membris meis, belligerantem adverſus legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in mem-*

Gal. 5. 17 *bris meis.* Et alibi: *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.*

faciatis. Patietur igitur fidelis & verè pius Dei in Eccleſia ſervus ſubinde manes ſuos, & modo ab hoc, modo ab alio affectu carnis in tranſverſum rapietur, atque à ſanctæ vitæ inſtituto, utut ſanctus in hoc mundo ſit, deflectet.

2. Teſtatur hoc præter Apoſtoli Pauli (viri cum quo ut & cæteris Apoſtolis nullus ex fidiſſimis & ſanctiſſimis quibuſque Doctoribus Eccleſiæ comparari poteſt) experientiam quā modo vidimus : experientia etiam veteris Eccleſiæ, in quâ ſancti quoque Doctores Eccleſiæ, bone Deus, quantos nævos habuêre! De qua re quia non libenter loquor, unum ſaltem exemplum ſufficiet Epiphanii Salaminis in Cypro Epiſcopi, cujus Opera etiamnum legit Eccleſia. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Doctor etiam non contemnendus, ſibi propoſuerat Chryſoſtomum ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano artibus ſuis dejicere, & efficere ut in exilio moreretur, quod etiam poſtea ſucceſſit. Vt autem ſcopum ſuum impium conſequi poſſet, putat è re ſua fore, ſiquidem Epiphanium virum ob doctrinam & vitæ integritatem in magna æſtimatione apud omnes poſitum in partes ſuas pertraheret, prout etiam factum. Ex eo tempore Epiphanius adverſus Chryſoſtomum externa omnia cum Theophilo machinatur, atque in eum finem Conſtantinopolin ſe confert. Dum ibi com-

commoraretur, dici non poteſt quot modis exorbitarit. Nam præterquam quod Charitatis erga Chryſoſtomum penitus immemor fuit, & omnibus modis hoſtilem animum ſuum palam fecit erga eum & contra leges divinas & contra Canones Eccleſiaſticos; etiam contra Dioſcorum Epiſcopum Hermopolis & tres ejus fratres Ammonium, Euſebium, Euthymium, qui quatuor fratres communi nomine *Longi* appellabantur & ſumma cum laude monaſteriis Ægypti præerant, valde abſurde infenſum animum exeruit; ideò quod opinioni Anthropomorphitarum cui Epiphanius favebat aſſentire nollent. Hos ob eam cauſam tanquam hæreticos comdemnari volebat & puniri ab Imperatore. Accidit eo tempore, ut morbo corriperetur filiolus Imperatoris. Mater ergò ſollicita ne quid illi accideret, miſſo nuntio Epiphanium rogat, ut pro eo Deum oraret. Epiphanius promittit convaliturum ægrotum ſi Dioſcorum & fratres, & ſocios ejus tanquam hæreticos averſaretur. Vide quæſo, quantus hic nævus! Itaque ſapientior illo hac in parte Imperatrix: *Quantum ad meum filium attinet, ſi Deo placeat eum ad ſe recipere; fiat voluntas ejus; nam qui dedit auferre poteſt*, inquit. *Tu vero ſi mortuos excitare poſſes; certè Archidiacon us tuus mortuus non fuiſſet.* Is enim paulo ante è vivis exceſſerat.

Exactiorẽ ac hus quatuor fratribus hiſtoriam lege apud Socrat. l. 7.9. capp.

Sozom. VII.15.

Eodem

Eodem tempore Longi fratres (ita enim Imperatrici viſum fuerat) Epiphanium accedunt. Interrogati ab eo, quinam eſſent, Longi, inquit Ammonius, ſumus ô pater. Libenter autem cuperem ſcire num quando vel cum diſcipulis noſtris colloquutus fueris, vel libros noſtros legeris. Illo negante, iterum rogat Ammonius; unde ergo nos pro hæreticis habes, cum non habeas ullum documentum ex quo tibi conſtet de noſtra doctrina? Cum id ſe ex aliorum relatione habere Epiphanius reſpondiſſet: Atqui nos, inquit Ammonius, plane aliter tecum egimus. Nam & cum diſcipulis tuis ſæpe collocuti ſumus, & ſcripta tua legimus, ex quorum numero is eſt qui Anchorati titulum habet. Et cùm multi eſſent qui te convitiis inſectari ac tanquam Hæreticum traducere vellent, defendimus te, ut par erat, tanquam Patrem noſtrum, & cauſam tuam egimus. Itaque non decebat te ut nos ex auditu & indicta cauſa condemnares in re quàm ipſe non cognoveras, neque talem vicem rependere iis qui de te bene loquuntur.

Quàm immanis etiam erat iſta vox, quam eo tempore cùm litigaret cum Chryſoſtomo emiſiſſe fertur: SPERO *te non moriturum Epiſcopum*. Nec certe mitior reſponſio Chryſoſtomi: *Et ego* SPERO *te non rediturum vivum in civitatem tuam.* At debebat uterque potius non malum

malum alterius ſperaſſe aut optaſſe: ſed potius deprecatus eſſe. Vnde mirum non eſt ſi utriq; id evenit, quod utrinque ſperabatur. Nam & Chryſoſtomus in exilio, & Epiphanius in itinere mortuus eſt. Sufficiat hoc exemplum, quod quia magnæ infirmitatis eſt, operæ precium duxi inſtar omnium commemorare; maximè quia libentius virtutes magnorum virorum deprædico, quam vitia enuntio. Itaque conſideratione propriæ nullitatis, infirmitatis ac miſeriæ quæ in hac vitâ etiam ſanctiſſimos comitatur, perpetuò armabit ſe is, qui Eccleſiam Dei non verbis ſolum ſed etiam ſanctæ vitæ exemplo docet, adverſus Dæmonium ſuperbiæ. Et hæc quidem conſideratio ad avertendum omnem typhum ei ſufficere debet.

3. Adeoque opus non habet fatuum aut morionem ſeſe ſimulare, aut datâ operâ indecorè ſeſe gerere in eum finem, ut, cum ideo ab hominibus contemtui ac ludibrio habitum ſe videat, à ſuperbia ſibi caveat. Ita à bono illo viro Symeone Monacho ſub Iuſtiniano Imperatore factum. *οὗτος γὰρ τὸν τῆς κενοδοξίας ἀποδυσάμενος χιτῶνα ſuperbiæ & inanis gloriæ tunicâ abjectâ*, ait Evagrius, cæteroquin *πάσας σοφίας καὶ θείας χάριτος ἐμπεπλησμένος omni ſapientia & gratia divina refertus* morionem ſe ſimulavit, & talis vulgò habitus fuit: adeo ut

Evag. VI. 33.

κα τὰ

κατὰ τὰς λεωφόρους ἀγοράζων ἐκτετράφθαι τοῦ καθεστῶτος ἐδόκει καὶ μηδὲν φρενῆρες ἢ ἀγχίνουν ὅλως ἔχειν *cum in plateis aut foro verſaretur, videretur mente exceſſiſſe & nihil ſapientiæ vel ingenii habere.* Si quis ipſum utut humiliter ſalutaret, ira accenſus celeriter inde ſe proripiebat, veritus ne ſua virtus à vulgo deprehenderetur. Ex amicis (nam quibuſdam ſe ſine ulla ſimulatione familiarem reddebat) quidam fortè ancillam, quæ ſtuprata à quodam & gravida facta erat, habebat. Ea cum ab hero & hera adigeretur ut apertè diceret, quis facinus hoc patraſſet, reſpondet Symeonem ſecum concubuiſſe, ſe ab eo concepiſſe, & paratam eſſe, rem non ſolum juramento ſed etiam argumentis perſpicue probare. Symeones cum hoc intellexiſſet, ita eſſe affirmavit; ſe enim carnem circumferre rem ſane lubricam dicens. Cum facinus in omnium ore eſſe cœpiſſet & Symeones propterea non exiguam inde infamiam reportaſſe videretur, ſe tunc ab hominum oculis ſubduxit & erubeſcere ſimulavit. Interim dies partus advenit, & illam labor pariendi invadit; tanto cum dolore, tam aſpero & incurabili, ut homo in extremo vitæ periculo conſtituta eſſet, partu tamen neutiquam procedente. Itaque cum Symeones, qui eò de induſtria venerat, rogaretur, ut pro ea preces ad Deum funderet; dicit ille palam, muliercu-

lam non prius parituram, quam verè fateatur, quis infantem, quem in utero geſtaret, procreaſſet. Quod cum feciſſet illa, & verum indicaſſet infantis patrem, extemplò infans ex utero exiliit, veritate ita obſtetricis munus exſequente.

Idem Symeones conſpectus fuit aliquando in domum meretricis intrare; ingreſſus oſtium occludit & ſolus cum ſola diu commoratur. Deinde oſtiò reſerato abiit, ac, ut ſuſpicionem magis augeret, undique circumſpicit ſi forte à quopiam videretur. Itaque qui eum egreſſum viderant, meretricem ad ſe acerſunt, ab eaque ſciſcitantur quid ſibi vellet Symeonis ad eam introitus, & tanta ibi temporis mora. Illa juramento affirmat, ſe defectu rerum neceſſariarum jam tertium diem nihil guſtaſſe præter aquam. Symeonem autem opſonia & cibos & vaſculum vini ſibi attuliſſe, & occluſo oſtio menſam appoſuiſſe, ac juſſiſſe ut cœnaret atque affatim comederet, nam eam ſatis diu jejunio ſeſe maceraſſe. Simul oſtendit atque attulit reliquias cibi. Ita Symeones ſuperbiæ ſpiritualis crimen prævenire voluit, perperam profectò, ut qui remedium malo fere deterius delegit. Ea enim ratione quantopere peccârit unuſquiſque facile intelliget, qui ejus actiones cum verbo Dei contulerit, ſpeciatim cum præcepto de non

dando

dando ſcandalo, de non mentiendo, de luce præferenda proximo, & aliis mandatis. Erat cætera vir admirandus: ut vel ex hoc facto illius patet, quod aliquando, cum terræ motus inſtaret qui Phœniciam maritimam miſerè poſtea afflixit, ipſe flagello arrepto columnarum quæ forte in foro erant complures cædebat ſic vociferatus, στῆτε, ὀρχήσασθαι ἔχετε, *ſtate firmiter, brevi namque ſaltandum vobis erit.* Itaque quoniam nihil ab eo temere fieri ſolebat; illi qui tunc aderant, accurate obſervarunt quas columnas ſine verberibus præteriiſſet; quæ non multo poſt violentia terræ motus corruerunt.

Similiter Thomas quidam monachus, qui vitam auſteram in Cœleſyria colens; eandem ob cauſam fatuitatem ſimulavit; vir & ipſe alioquin ob vitæ ſanctitatem tunc temporis celebris & admirandus; ut vel ex eo patet, quod cum aliquando Antiochiam veniſſet, ut ſubſidium, quod inde quotannis monaſterio ſuo ſuppeditari ſolebat, domum referret; ab Anaſtaſio Oeconomo, quia ei fatuitate ſua ſæpe moleſtias creabat, colaphum accepiſſet, & qui aſtabant id ægre ferrent; inquit, nec ſe in poſterum percuſſum iri, nec Anaſtaſium colaphum ipſi in futurum impacturũ eſſe. Vtrumque accidit. Nam ſequente die Oeconomus moritur, & Thomas domum tendens in via

 exſpi-

exſpirat. Abſit à ſervo Dei verè pio & qui ædificationi Eccleſiæ conſultum cupit tàm ſtultum ſuperbiæ remedium, & ineptum pietatis adjumentum vel in factis vel in veſtimentis fatuis in quibus hypocritæ quidam ſanctitatẽ ponunt & humilitatem. Vèrum, ut diximus, remedium ſuperbiæ non melius quis inveniet quam in nullitatis, indigentiæ, miſeriæque ſuę ſenſu qui ipſi hanc vocem in momenta exprimere poteſt: *Miſer ego homo, quis me eripiet ex iſto corpore mortis!*

4. Atque hæc quidem de prudentiâ veteris Eccleſiæ circa Deum verâmque Religionem immediatè conſideratam dicta ſunto: quem quidem in præſentiarum nobis ſcopum & terminum noſtri laboris propoſuimus. Vbi laborem noſtrum Eccleſiæ Dei gratum fuiſſe intellexerimus; pergemus volente Domino in hoc ampliſſimo æquore. Et tunc quidem agemus de prudentia Eccleſiaſtica ea in qua plurimum momenti quoque, nec minus difficultatis, ob rerum varietatem præſertim, poſitum eſt. Agendum enim erit de prudentia veteris Eccleſiæ circa homines; in ſpecie de prudentia Magiſtratus erga totam Eccleſiam, item erga eos ſpeciatim qui in Eccleſia docent; rurſus de prudentia horum omnium erga Magiſtratum. Prætereà de prudentia eorum qui Eccleſiæ præſunt erga populum, & populi erga ſuos

ga ſuos Doctores, omnium denique hominum Orthodoxorum erga ſe invicem. Inſuper de prudentia Eccleſiæ veteris circa errantes; & quidem ſpeciatim de prudentia Magiſtratus, Doctorum & Paſtorum Eccleſiæ populorum; denique circa errantes tam eos qui in fundamento errant, quam eos qui in fundamento cum Orthodoxis conveniunt.

Vbi etiam revelandæ ſeu indicandæ ex veteris Eccleſiæ experientia erunt artes, doli, verſutiæ quibus adverſarii veritatis divinæ & Novatores uti ſolent ut ad ſcopum ſuum perveniant ; quibus artibus plurimum nocere poſſunt Eccleſiæ ſi eæ Orthodoxis incognitæ ſint; quemadmodum contra ubi eas perſpectas habes, jucundiſſimum eſt videre vulpeculas illas dum latere ſe putant tacito pede advenientes & artificia ſua fruſtra & cum ſuo opprobrio atque damno promentes. Nam ut pulcre Ruffinus ait: *dolis apud ignorantes locus eſt; ſcientibus vero dolum intendere non aliud eſt quam riſum movere.* Ruffin. l. 2.

De his & aliis agam ubi Domino viſum fuerit; & patronos operis invenero. Patri, Filio & Spiritui S. uni vero æterno Deo in tribus perſonis ſit honos, laus & gloria in æternum. Amen.

INDEX

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in hoc volumine continentur.

Primus numerus notat librum, ſecundus caput, tertius ſectionem capitis. Pr. indicat Prolegomena, ſecundus caput, tertius ſectionem.

A.

Addeus Senator à Juſtino Imp. cur occiſus. I. 5. 3.
Adelphius primipilus Enthuſiaſtarum II. 6. 1.
Adverſarii Eccleſiæ lætantur illius diſſidiis III. 2. 3. & triſtitiâ afficiuntur quando diſſidium componitur. III. 2. 4.
Adulterii turpis & flagitioſa pœna apud Romanos Chriſtianos II. 8. 5.
Ætherius Senator morte mulctatus à Iuſtino Imp. I. 5. 3.
Aëtiani Hæretici exoſi Conſtantio. I. 2. 8.
Alexander Antiochenus verbis & factis doc[illegible] II[illegible]. 2.
Alexandri Alexandrini vitam arrodere non potuit Arius III. 7. 1.
Alexandri Conſtantinopolitani perplexitas in ſucceſſore nominando. pr. 6. 2. Potius de veritatis quam de ſui conſervatione ſollicitus fuit. III. 5. 2.

Alexius Comnenus quomodo detexerit ſimulationem Baſilij Bongomilorũ Hæreſiarchæ II. 6. 3.
Ambroſij monita ad Theodoſium. II. 1. 2. Ejuſdem moribundi inſigne dictum III. 7. 5. Perſecutionem patitur à Iuſtina & Valentiniano juniore I. 7. 3.
Amphilochij Epiſcopi prudentia. pr. 2. 2. &c.
Anaſtaſius presbyter Conſtantinopolitanus vocem θεοτόκος oppugnat. III. 3. 1.
Anaſtaſij Imperatoris Chryſargyrum tollentis factum memorabile. II. 8. 5.
Anathema Deo Mahometis dictum. II. 7. 4.
Anathema dicere nolunt ſimulatores Hæreticis. II. 5. 10. dicunt tamen nonnunquam coacti contra conſcientiam ib.
Anatolij Alexandrini Epiſc. prudentia. I. 2. 10. & II. 3. 2.
Antiquitatis Eccleſiaſticæ adminiculum neceſſarium ad prudentiam Eccleſiaſticam acquirendam. pr. 3. 2.
S. Antonij conſiliũ de vita pie inſtituenda I. 5. 4.
Apelles Marcionita jurabat ſe ita ſentire. III. 4. 6.
Apollinarius ſimulator. II. 6. 4. Ejuſdem hæreſis cur non invaſerit Syriam &c. III. 6. 3.
Apoſtaſiæ cauſa imprudentia I. 1. 4.
Arcadii & Honorij Impp. pietas & Religio II. 1. 1.
Argyropolis ſuburbium Conſtantinop. I. 2. 12.
Ariana hæreſis Ægyptum non inundavit ob ſanctitatem Orthodoxorum Monachorum. III. 4. 6. 3.
Ariani. ab iis ſtrangulatus Epiſcopus Conſtantinop. pr. 6. 2. eorum verſutia in Synodo Nicena. I. 2. 7. Diſſentientes inter ſe ſibi nocuerunt. III. 2. 3. Quo pretextu vocem ὁμοούσιον tollendam urſerint. III. 3. 1. Vnius literulæ additione veram Religionem evertunt III. 3. 1.

Ariano-

Arianorum hæreſis qua celeritate omnia Orientis loca pervaſerit. III. 2. 2. in tres partes ſcidit Eccleſiam ib. Cur ea Oriens & non Occidens fuerit infectus. II. 1. 1

Arius ſimulat Orthodoxam Religionem. II. 5. 9. Nudis Scripturæ verbis ſuam confeſſionem edit. ib. ideo ſuſpectus Conſtantino ib. ejus ſimulatio quomodo à Deo detecta. II. 6. 7. mors. ib. Qua arte hæreſin ſuam ſparſerit & ſibi ſectatores & fautores conciliaverit. III. 2. 2

Arſacius Ethnicorum Pontifex ſub Iuliano, III. 6. 7.

Athanaſii prudentia percellit Hæreticos. I. 2. 6. omnes homines in admirationem ſui traducit. ib. 12. magicarum artium inſimulatus. ibid. corvi crocitationẽ de Gentilibus interpretatur. ib. pro propheta habitus. ib. à Ioviniano Imp. magni fit. ib. ſtupri accuſatus. ib. 13. eam calumniam prudentia diluit ib. homicidii accuſatus eam quoque calumniam prudentia diluit ibid. prudentia inſidias vitæ ſuæ ſtructas evadit. ib. 14

Athanaſius cur odium Arianorum incurrerit. III. 5. 3. ejus magnanimitas ibid. 4. Ex præſentiſſimis periculis divina providentia ereptus. III. 5. 6. Non vult novam formulam fidei ſcribere. III. 3. 6.

Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani prudentia naturalis. pr. 1. 2

Attici Conſt. prudentia in gubernanda Eccleſia Cõſtantinop. I. 2. 1. 2. in curando Schiſmate. ibid. 3. hæreticos quomodo in ordinem redegerit. ib. 6. ejuſdem prudentia erga Novatianos Sabbathianos ib. 9. ejus auctoritas quanta? ib. 12. quiete gubernat Eccleſiam ſuam ib. 15. mediocri eruditione præditus erat. ib. 17

Auctoris Scopus in hoc opere. pr. 5. 1. & 6. 5

Audæ Epiſcopi Perſæ Imprudentia I. 1. 1
Auguſtini ſententia Orthodoxa de Libero arbitrio non nova fuit ipſius ſententia, ſed ante eum obtinuit. III. 4. 2
Αὐτοκράτωρ unde dictus. II. 8. 1

B.

BAronius Socratem ſolidè non refutat circa bigamiam Valentiniani. II. 8. 4
Baſiliſci Imperatoris conjunx Eutychiana. I. 7. 3
Baſiliſcus Imperio privatur. II. 4. 4
Baſilius M. mavult mori quàm unicam ſyllabam veritatis divinæ prodere. I. 3. 7. Optat martyrium I. 3. 4. Ad promiſſa ampliſſima Præfecti quid reſponderit. ibid. 5. mira Dei providentia è periculis ereptus. III. 5. 7
Beroënſis Viri Illuſtris ſeveritas erga filium Apoſtatam. I. 8. 3. Ejuſdem libertas erga Iulian. ib.
Bigamiæ flagitium uſitatum nobilitati Romanæ Chriſtianæ. II. 8. 4
Bongomilorum Hæreſiarcha Baſilius. II. 6. 3

C.

CAptiva fœmina Chriſtiana totum regnum Iberum ad fidem Chriſtianam adducit. I. 6. 3
Captivi Chriſtiani vitæ ſuæ ſanctitate Barbaros lucrantur. III. 6. 5. Calumnias vincunt III. 7. 1
Ceremoniæ impiæ & idololatricæ fugiendæ. I. 3. 7
Chagani Hunni ſuperbia repreſſa ſapiente oratione II. 1. 5
Chriſtiani in precio habiti ab Imperatoribus Ethnicis. II. 3. 6. Olim ſe ultrò offerebant ad Martyrium. I. 3. 4. accurrebant ad illud ib. illud ſubibant ridentes & pſallentes ib.

Chry-

Chryſargyrum ſublatum ab Anaſtaſio Imper. II. 8. 5
Chriſoſtomi nævus. III. 8. 2. Ejus inflexibilitas. pr. 3. 4. Eum imprudentiorem fuiſſe obſervat antiquitas. pr. 6. 2. contra eum ſubornati ſicarii. pr. 6. 3
Chryſoſtomus ſub Libanio Sophiſta Eloquentiæ ſtudet. I. 8. 2. exemplo ſuo populum inducit ad pietatem. III. 6. 4. Vita ſua ſancta hæreticos lucratur. III. 6. 5
Conjugii cum parte infideli initi quatuor pericula. I. 7. 1. ad Conjugium pars fidelis deligenda I. 6. 1
Conſcientia bona quæ? III. 4. 6
Conſtantia in Orthodoxa Religione. I. 3. 7
Conſtantii Imp. ſera pœnitentia. II. 5. 1
Conſtantius Imp. non vult permittere ut Iulianus inſtituatur ab Ethnicis in literis. I. 8. 2. Odit Aëtianos. I. 2. 8
Conſtantinus Clorus punit homines leves circa veram religionem. II. 4. 3
Conſtantini M. Labes. II. 5. 1. Ejuſdem judicium de diſſidio Eccleſiæ. III. 2. 3. Ejus Præcatio præſcripta militibus Ethnicis. II. 8. 3. ejus privata exercitia Religionis. ib. & pietas caſtrenſis. ib. Qua re ad Chriſtianam Religionem amplectendam impulſus fuerit. II. 1. 4. Quibus hominibus maxime confiſus fuerit. II. 3. 1. Anne ad Arianiſmum defecerit. II. 6. 6. Se Epiſcopum dicit. II. 7. 1. Ejus ſingularis cura & præcipua quæ? ib. Ejus præceptum liberis datum. ibid. Arium quod ſibi non ſervarit ſcientiam ſuam. III. 3. 7
Cyrus Alexandrinus Epiſcopus ſuadet Heraclio Imperatori ut filiam deſpondeat Principi infideli. I. 7. 4. Quomodo illud coſilium ei ceſſerit. ib.
Cyzicenorum prudentia in detegendo Eunomio II. 5. 3.

5.3. fruſtra accuſant eum apud Eudoxium. II. 5.5. eorundem aſtutia in detegendo Eunomio. II.6.2

D.

DAmaſi Romani zelus pro veritate. III. 5.1
Davidis Parei judicium de Schiſmate Germaniæ. pr.6.1
Dionyſius Alexandrinus mira providentia divina ereptus ex periculis. III.5.5
Dioſcori Archiatri Ethnici votum & perfidia. II.1.3
Diſſentientium actiones non omnes rejiciendæ. pr.3.4
Diſſidium Eccleſiæ quæ mala ſecum trahat. III. 2. 3. 4. Diſſidium ex novandi ſtudio. III. 2.2. quomodo progredi ſoleat & creſcere. ib.
Docentes in Eccleſia Orthod. abeſſe debent à ſtudio innovandi dogmata. III.2.1. &c. Cavere ſibi debent ab innovatione vocum & modorum loquendi qui auctoritatem invenerunt in Eccleſia. III. 3.1. &c. Eorum officium circa aſſertionem veritatis divinæ. III.5.1. &c. Potius debent de veritatis conſervatione quam de ſui ſolliciti eſſe. ib.2. Quibus periculis obnoxii ſint ubi veritatem ſtrenuè defendunt. ib. 3. Vitæ ſanctitati præ aliis hominibus ſtudere debent. III. 6.1. &c. Quomodo calumnias vincere poſſint. III.7. 1
Doctores Eccleſiæ cur opus habeant prudentia Eccleſiaſtica. pr.6. 1. &c. eorum pericula quatuor ib.3

E.

ECcleſia in tres partes ſcinditur à Novatoribus. III.2. 2
Eccleſia Chriſtiana quomodo ſanguine creverit. I. 3.4.

Eccleſiæ diſſidium adverſariis lætitiam conciliat. III. 2. 3
Ecebolius Sophiſta. II. 4. 1
Edeſſenæ mulierculæ zelus. I. 3. 6
Enthuſiaſtæ ſimulatores à Flaviano detecti. II. 6. 1
Ephraïmii Antiocheni Epiſc. prudentia. I. 2. 10
Epiphanii ſimplicitas & imprudentia. pr. 6. 2. circumvenitur à Theophilo, I. 1. 6. Ejus infirmitates & nævi. III. 8. 2
Epiſcopi Aegyptii Eutychianiſmi accuſati in Synodo Chalcedonenſi. II. 5. 10
Epiſcopi anonymi moribundi inſigne dictum. III. 5. 8
Epiſcopi equiſones facti ſub Diocletiano. III. 7. 4
Epiſcoporum Conſtantinop. funeribus ſolebant intereſſe Imperatores. I. 2. 15
Epiſcoporum & Clericorum quingentorum levitas. II. 4. 1. 4
Epiſcopus. *Vide* Paſtor, *item* Docentes in Eccleſia.
Epiſcopus agreſtis & imperitus apud Rufinum. I. 1. 2
Ethnici Imperatores utebantur Chriſtianis ad functiones honoratiſſimas. II. 3. 6
Evagrii Etymologia circa vocem αὐτοκράτωρ. II. 8. 1
Eudoxii Ariani verſutia in Gotthis ſeducendis. II. 2. 2
Edoxius Aëtianus cum ſuis à Silvano Tarſenſi confuſus. I. 1. 8. Suæ propriæ fidei anathema dicit. II. 5. 10
Eudoxius & Eunomius ſimulatores Aëtiani. II. 5. 2. quomodo detecti. II. 5. 5. & 11. 6. 2
Eunomiani Hæretici in diſputando ſummam ſanctitatem collocabant. III. 6. 1
Eunomii hæretici eloquentia & ſubtilitas in diſputando. I. 6. 2. Fuit ſimulator II. 5. 2. accuſatus

tus à Cyzicenis. II. 5. 5. circumventus ab iis. II.6. 3
Eunomius Orthodoxus Epiſcopus Theodoſiæ, II. 3. 5. liberat urbem obſeſſam à Perſis. II. 3. 5
Euſebii Laodicenſis prudentia. I. 2. 10. & 11. 3. 2
Euſebius Vercellarum Epiſcopus. I. 1. 3
Euſtathius Antiochenus ſtrenuus aſſertor veritatis. III. 5. 3
Eutychiani unam literulam mutant ut ſuam hæreſin ſtabiliant. III. 3. 1. Concilium Chalcedonenſe corrumpunt. ibid.

F.

Flaviani Epiſcopi Antiocheni prudentia. I. 2. 4. Detegit ſimulationem Enthuſiaſtarum. II. 6. 1
Fœdera cum infidelibus ineunda vel inita prudentiam requirunt magnam. II. 2. 1, 2
Fœderibus infideles conantur à vera Religione ſeducere Orthodoxum Principem. II. 2. 1

G.

Genſericus Arianus perſequitur Orthodoxos. I. 3. 6.
Gentiles Alexandrini rident Deos ſuos. II. 1. 7
Gilmeris Vandalorum Ducis captivitas. II. 1. 6. vox ab eo prolata in theatro. II. 1. 6
Gotthi qua occaſione Ariani facti. II. 2. 2
Gregorii Antiocheni prudentia. I. 2. 5. Magni fit à Regibus. ib. 12

H.

Hæreticorum ſcripta an Princeps legere debeat. II. 7. 5

Hera-

Heraclius Imp. non vult filiam deſpondere principi infideli. I.7.4
Heraclius Imperator ob inceſtuoſas nuptias à Deo punitus. II.8. 2
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ utilitas. pr. 3. 6.7. Ejus finis ibid.
Hominum ingenia quando omnium optimè cognoſcantur. pr.5. 3
Honorii Imperatoris Religio ſubditis infidelibus ſalutaris. II. 1.1
Honorius Imperator gladiatorios ludos abrogat. II.8. Telemachum in ſanctorum Martyrum numerum refert. ib.
Hormiſda Perſa Illuſtris Martyr. II. 4.3. Ejus inſigne dictum. ib.
Humanæ infirmitatis notabile exemplum in Epiphanio. III.8. 2
Humanæ naturæ indolem ad noxia ferri, ex Sozomeno. pr.5. 2
Humanarum rerum inſtabilitas. II.1. 2

I.

Jacobus Niſibidis Epiſcopus urbem obſeſſam à Perſis liberat precibus. II.3.4
Iberia Armeniæ pars. I.6.3
Ignatii Antiocheni inſignis locus de gratia Dei & libero arbitrio. III.4. 2
Iberum Regina maritum ad Religionem Chriſtianam convertit. I.6.3
Ignatii Antiocheni deſiderium erga Martyrium. I.3. 4
Imperator unde dictus. II.8. 1
Imperator Romanus in ſanctorum numerum refert occiſum Monachum, ferente illud Epiſcopo Rom.

Rom. & nequaquam prohibente. II.8. 5
Imprudentia Orthod. in Synodo Ariminenſi.I.1. 5
Imprudentia in negocio Religionis quæ mala producat. I.1.2.3. &c.
Innocentii Romani prudentia pr.3. 5
Ioannitarum Schiſma. I. 1. 2. curatur & tollitur I.2. 3
Iohannes Occidentis Tyrannus. II.1. 1
Ioviniani Imp. de Athanaſio judicium. I.2. 12
Isdigerdes Perſarum Rex I.1.1. Chriſtianiſmo propinquus ib.
Iudæi natura hoſtes Chriſtianorum judicio Sozomeni. pr.6. 3
Iudicia Dei adverſum impios I. 5.2. notabile eorum exemplum in Addæo Senatore. ib.3. Ea principi perpetuo cogitanda. II. 2. 3
Iuliani Epiſtola ad Arſatium. III.6. 7
Iuliani convivium Beroënſe. I.8.3
Iuliani Imp. verſutia. I.1. 4
Iuſtiniani Imperatoris conjunx Eutychianos promovet. I.7. 3
Iuliani Apoſtatæ educatio. I.8. 2
Iulianus quomodo ad Paganiſmum defecerit. I. 8.2
Iulianus Apoſtata fit Monachus. I.8.2. ejus ſimulatio. ib.
Iulianus Apoſtata cur à cædibus Chriſtianorum ſibi temperaverit. I.3. 4. 6
Iulianus benefacit Orthodoxis. II.6.8. Simulator, ib. & II. 5.1
Iuliani Apoſtatæ judicium de cauſa incrementi Religionis Chriſtianæ. III. 6.7. ejus conſilium de propagandi Ethniciſmi ratione ib.
Iuſtina Valentiniani majoris conjunx Ariana. I. 7. 3. Simulat Religionem Orthod. ibid. Seducit filium Valentinianum juniorem. ib. Ambroſium Epiſco-

Epiſcopatu privare vult.ibid. Filium ad perſecutionem Orthodoxorum inſtigat. ibid.
Iuſtinæ Imperatricis ſimulatio. II.6.5
Iuſtini ſecundi vita non reſpondens profeſſioni. II.8.1
Iuſtinus Imperator ſero ſapit.II.1. 6.Ejus memorabilis oratio. II.1.6. Edictum de non mutanda ſyllaba in vera doctrina. III.3.5
Iuventinus ſatelles pius Iuliani. I.3.7

L.

Leontius Arianus Epiſc. Antiochenus ſimulator, quomodo detectus. II.5.4.8.
Leves in Religione homines principi infideles. II.4.3. Iis ne quidem juratis credendum. II.3.4.4
Levium in Religione hominum exempla. II.4.1. Vera effigies. II.4.4
Libanius Sophiſta magiſter Chryſoſtomi & aliorum Epiſcoporum. I.8.2
Liberi in Orthodoxæ Religionis zelo inſtituendi.I.8.1.&c. Non committendi præceptoribus non Orthodoxis ibid. 2. Caſtigandi à parentibus ubi falſa Religione ſe polluunt. ib.3
Liberii Romani prudentia, & colloquium cum Conſtantio. I.2.16.
De Libero arbitrio locus inſignis Ignatii Antiocheni. III.4.2
Libertas prophetandi non tollitur, quando Novatorum licentia compeſcitur. III.4.3.
Licinii Imperatoris votum & perfidia. II.1.3
Literulæ unius depravatione ſæpè dogma fundamentale evertitur. III.5.1
Longi fratres monachi Aegyptii.III.8.2 redarguūt Epiphanium. ib.

Luciferi Calaritani imprudentia.I.1.3, & Schiſma. ibid. Ejus pœnitentia ſecundum conjecturam Ruffini. III.3.8

M.

Macedoniani Hæretici pietatem ſimulant. III. 6.7

Macedonius Epiſcopus Conſtantinop. prudentiæ & dexteritatis nomine commendatus ab Alexandro Conſtantinop. pr.6.2

Macedonii Orthodoxi Epiſcopi Conſtantinop. prudentia. I.2.14

Magicis artibus interfectus Theodotus. I.5.3.

Mahometis Deo dictum anathema.II.7.4. Abrogatum à Manuële Comneno. ib.

Mancipes Romani latrocinium Romæ exercebant. II.8.5.

Manuel Comnenus Imperator malus Theologus. II.7.4

Mavia Saracenorum Regina bellum infert Romanis. II.3.3

Martina conjunx & neptis Heraclii. II.8.3

Martyres ignoti. I.3.7

Mauritius Imperator Choſroën juniorem exulem benigne ſuſcipit.II.1.2. Quando optime cognitus fuerit. pr.5.3. Exercitus ab eo deficit. I.2.5

Maximianus Satelles pius Iuliani. I.3.7

Maximus Orthodoxus. Tyrannus.I.7.3.Bellum infert Valentiniano prætextu Religionis ibid. à Theodoſio occiditur. I.8.3

Maximus Philoſophus Ethnicus. I.8.2

Meſſalianorum ſeu Enthuſiaſtarum hæreſis ac ſimulatio. II.6.1

Militum quorundam Chriſtianorum imprudentia & alio-

&aliorum prudentia ſub Iuliano .I.1.4.& I.2.11
Miniſtri verbi divini quibus periculis obnoxii, pr. 6.3. rebellionis prætextu opprimi ſolent. ibid.
Monachi Anthropomorphitæ. I.2.14
Monachi occidere volunt Theophilum Alexand. I.2, 14
Monachi ſancti, hoc eſt, veteres multum profuerũt Orthodoxæ Religioni. III.6.3
Monachorum bonorum veterum prudentia naturalis. pr.I.2
Moſes Saracenorum Chriſtianorum Epiſcopus. II.3.3

N.

NÆvi piorum quo fine commemorentur. pr.3.3
Neſtorii imperitia & imprudentia. I.1.2. Miſeriæ. III.3.4.
Neſtorius vocis prætextu doctrinam evertit. III.3.1. Ejus ſera nimis pœnitentia. III.3.8
Niceni patres qua occaſione ὁμοούσιον dixerint. I.2.7
Nilo ſacrificabant Aegyptii. II.1.7. Nili ſacrificium vetitum à Conſtantino M. ibid. Item à Theodoſio M. ib.
Niſibis à Perſis fruſtra obſeſſa. II.3.4
Novandi ſtudium circa dogmata Orthodoxæ Eccleſiæ, quæ mala ſecum trahat. III.2.2. Novandi ſtudium circa voces & phraſes receptas quatuor mala ſecum trahit. III.3.1. &c.
Novator ſibi debet ſervare ſcientiam ſuam judicio Conſtantini M. III.3.7.
Novatores Eccleſiam in tres partes ſcindunt. III.2.2. quæ mala in Eccleſia efficiant ib. & III.2.3. 4. Qua arte uti ſoleant in conciliandis ſibi ſectatoribus & ſpargenda ſua doctrina. ib.2.
Novatorum ſera pœnitentia. III.3.8. Eorum objectiones

jectiones diluuntur. III.4.1. &c. Eos non excuſat prætextus Conſcientiæ, III.4.6. nec ſtudium veritatis. ib. 1

O.

OMarus Saracenorum princeps. I.7.4
Oriens cur Arianiſmo infectus fuerit & non Occidens. II.1.1
Orthodoxi non omnes ſunt qui veram Religionem profitentur. II.6.8
Orthodoxorum actiones non omnes imitandæ. pr.3.4

P.

PAſtores præditi zelo veræ Religionis quantum proſint; ſi contrà, quantum noceant. III.1. 1. 2. vitæ ſanctitati præ aliis hominibus debent ſtudere. III. 6. 1. &c. quantus inde fructus. ib.
Paſtor. Vide docentes in Eccleſia.
Paulilli pueruli conſtantia in Orthodoxa Religione. I.3.6
Paulino Orthodoxo Epiſcopo Antioch. parcunt Arianis. III.7.2
Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus. pr. 6. 2. ſtrangulatus ab Arianis. ib.
Peccatum ante oculos alicujus. II.8.2
Pelagius ſuæ propriæ ſententiæ anathema dicit. II.6.8
Pericula quibus expoſiti aſſertores veritatis ſtrenui. III.5.3
Perſarum exercitus à culicibus victus. II.3.4
Perſecutio horrenda Eccleſiarum Perſicarum. I.1.1
Perſecutionem ſiſtit zelus. I.3.6
Perſecutionis cauſa in vetere Eccleſia quandoque Epiſco-

Epiſcopi zelo veræ Religionis & pietatis non præditi. III. 1.2.& c.2.4.
Perſecutionum cauſa imprudentia. I.1.1.
Petri Mongi Epiſcopi Alex. levitas. II.4.1
Placilla Imperatrix obſtat quominus Theodoſius ab Arianis ſeducatur. I. 6. 2. Monitionibus ſuis eùm in vitæ pietate retinet. ib.& II. 1. 2
Populi judicium de veritate Religionis. III. 6.3
Porphyrii Antiocheni prudentia pr. 3. 5
Presbyteri Ariani ſimulatio in Religione. II. 5.1. quomodo ſe detexerit. ib.6.7.& 11.6.5
Princeps rectè de ſe & ſua dignitate ſentire debet. II.1.2. Qui piis aulicis & miniſtris non utitur, ſibi plurimum nocet. II. 3. 7. Quales aulicos & miniſtros habere debeat. II. 3. 1. 2. &c. Cavere ſibi debet ab hominibus levibus in negocio Religionis. II. 4. 1. &c. Quando non bene in Religione inſtructus eſt, quæ mala inde oriantur. II. 7. 3. An Hæreticorum ſcripta legere debeat. II. 7. 5. Non debet ſeparare vitæ pietatem à vera Religione. II. 8. 1. Quando pie non vivit, quæ mala inde oriantur. II. 8. 2. Non debet ferre leges pietati & verbo Dei contrarias. II. 8. 4. Debet abrogare leges & conſuetudines tales. ib. 5
Principis Orthodoxi & pii exemplum quantum poſſit erga ſubditos. II. 1. 1. &c.
Principi quid faciendum, cum ei ſuadetur ut boni publici vel privati cauſa quid contra Deum faciat. II. 1. 7. Quid faciendum ubi fœdus init cum infideli Principe. II. 2. 1. 2. Qui homines ei maximè fideles ſint. II. 3. 1
Principis Orthodoxi & pii exemplum quantum poſſit erga ſubditos. II. 1. 1. &c. Ejus cura præcipua quæ debeat eſſe. II. 7. 1. Principis Epiſcopatus. ibid. Exercitia privata Religionis, domi & in caſtris. II. 8. 2.

Procli Epiſcopi Conſtantinop. prudentia. I.2.3.
Providentia divina tuetur ſtrenuos defenſores veritatis divinæ. III.5.4.5.6.7
Prudentia Eccleſiaſtica quid? pr. 1.1. Ejus ſpecies ib. Ejus actiones variæ. pr. 4.1.2. Ejus fructus ſedecim. I.2.1. &c. A Deo petenda. pr. 3.1. Illius norma Scriptura ſacra. ib. 2. Unde diſcenda. pr. 2.1.2. &c. & cap. 3
Prudentiæ nomine qui Epiſcopi Orthodoxi laudentur in antiquitate. pr. 3.5
Prudentiâ Eccleſiaſticâ opus habent omnes homines. pr. 5.2. in ſpecie qui aliis præſunt. ib. 3
Pſathyrianorum Hæreticorum zelus. I.3.2
Pulcheria ſoror Theodoſii junioris ſancta & prudentiſſima Virgo. I.8.1

R.

Regulus Perſa blaſphemus punitus. II.3.5
Religio Orthodoxa quomodo ludibrio exponatur. III.2.3
Reſpublica turbatur quando Eccleſia turbatur. I.1.3
Romani Chriſtiani quomodo adulteras puniebant. II.8.5
Ruffini conjectura de Luciferi Calaritani pœnitentia. III.3.8

S.

Sabbathii corpus colebatur à Novatianis quibuſdam. I.2.9
Salviani Maſſilienſis querela de bigamia. II.8.4
Sapores Perſarum Rex perſecutor Eccleſiæ. pr. 6.3
Schiſma Eccleſiæ Romanæ ſub Damaſo. I.1.2
Schiſma-

Schiſmatum cauſa imprudentia. I.1.2.3. Curantur prudentia. pr.6.1.& I.2.3.
Seditionum popularium auctor Diabolus. I. 2. 4. Eas ſedat prudentia Paſtorum. ibid.5.
Seſoſtris currus. II.1.5
Silvani Tarſenſis prudentia in confundendis Arianis. I. 2. 8. Ei cur exilium denunciatum. III. 5.3
Simulatione morbi deluſus Iulianus à fidelibus militibus. I.2.11
Simulator non accuſandus apud ſimulatorem. II. 6.10
Simulatores ad tempus ſaltem benefaciunt Orthodoxis. II.6.8. Coacti anathema dicunt quandoque ſibi & ſuæ propriæ fidei. II. 5.10. & II. 6.8. Quandoque à Deo immediate deteguntur. II. 6. 7. In negocio Religionis vitandi Principi. & cur. II.5.1. Difficulter detegi poſſunt. ibid. 2. Simulationis in negocio Religionis nemo temere accuſandus. ibid. 3. Quibus modis ſimulatores in vetere Eccleſia ſe ipſos detexerint. ib. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & cap. 6. 1. 2. &c. Simulatores immittuntur interdum in familiam principis, & cur? II. 5. 1. Se mutuo ad benè tegendum animum exhortantur. II. 5. 2. Nudis Scripturæ verbis quandoque ſe involvunt. ib. 9. Nolunt anathema dicere Hæreticis. II. 5. 10
Simplicitas imprudentiæ obnoxia. pr.6.2
Siſinnii Novatiani Epiſcopi colloquium cum Chryſoſtomo. pr. 3. 4. Ejus vita. III.7.1
Socrates à Baronio non benè refutatus. II.8.4
Sozomeni inſignis locus de hominum indole & imprudentia pr.5,2, ejus judicium de turbis Reip. & Eccleſiæ. I.1.3

Spe-

Spectrum Antiochiæ viſum. I.2.4
Stulta hujus mundi quæ ſecundum Manuelem Comneum Imperatorem. II.7.4
Superbiæ ſpiritualis remedium falſum & verum. III.8.1.2.3
Symeones Epiſcopus Seleuciæ per calumniam oppreſſus. pr. 6.3. Martyres ſocios moribundos ſolatur. I.3.7
Symeones Monachus fatuitatem ſimulat. III. 8. 3. ſcandaloſam & turpem vitam præ ſe fert, in remedium ſuperbiæ ſpiritualis. ib.
Syllabam non mutandam in vera Religione edicit Iuſtinus. III.3.5
Syllaba ne unica quidem veritatis divinæ prodenda. I.3.7
Synodus Ariminenſis. I.1.5
Synodus pro cœtu convivantium. III.5.5

T.

TElemachus in ſanctorum numerum relatus ab Imperatore Romano. II.8.5
Tentoria in templi formam circumferri ſolita cum exercitu. II.8.3
Themiſtii Philoſophi judicium de Chriſtianis levibus in negocio Religionis. II.4.2
Theoctiſtus Pſathyropola. I.3.2
Theodora Iuſtiniani Imperatoris conjunx Eutychiana. I.7.3
Theodori fratris Heraclii alluſio ad pſalmum 51. II.8.2
Theodoricus Gotthus Arianus capite mulctat Diaconum levem circa veram Religionem. II.4.3
Theodoriti inſignis ſententia de zelo vero. I.3.4
Theodoſia urbs à Perſis obſeſſa. II. 3.5

Theodo-

Theodoſii M.notabile reſponſum circa Nili ſacrificia. II. 1. 7. Ejus ira contra Antiochenos quomodo mitigata. I. 2. 4
Theodoſius M. vacillans in Religione in officio retinetur à conjuge. I. 6. 2. Reducit Valentinianum juniorem ad Religionem Orthodoxam. I. 8. 3. Quomodo ſcripta Hæreticorum legerit. II. 7. 5. Arianos coercet motus prudentia facto Amphilochii pr. 2, 2. Ira ejus contra Antiochenos quomodo mitigata. I. 2. 4. Abrogat pœnam flagitioſam adulterii uſitatam Romæ. II. 8. 5. Mancipum ædes Romæ evertit, & eos ob latrocinia & plagia punit. II. 8. 5
Theodoſii junioris ſtudium inſigne veræ Religionis. II. 7. 2. Scientia rerum Theologicarum ib. Exercitia privata Religionis. II. 8. 3. Educatio. I. 8. 1. pietas II. 1. 1. etiam in theatro ib. populum ad pietatem ſuo exemplo inducit. ib.
Theodotus aulæ præfectus magicis artibus interfectus. I. 5. 3
Thomæ Apameenſis Epiſcopi prudentia erga Choſroën Perſarum Regem. I. 2. 10
Thomas Monachus fatuitatem ſimulat. III. 8. 3
Theophili Alexandrini odium contra Chryſoſtomum. I. 1. 2. Monachos deludit. I. 2. 14.
Tiberius à Iuſtino Cæſar declaratus. II. 1. 6
Timotheus presbyter Athanaſii. I. 2. 13
Timothei Colonis Epiſcopi Conſtantinop. levitas. II. 4. 1
Trinitatis myſterium quatenus ab Antitrinitariis oppugnatur, an neceſſarium ſit ad ſalutem? II. 7. 4
Tyrannis non eſt impedire Novationes in Eccleſia Orthodoxa. III. 4. 3

Valens Imperator non audet perſequi Athanaſiũ I. 2. 6. Seductus à conjuge Ariana. I. 7. 3. cùm vult nocere non poteſt Baſilio. III. 5. 7
Valentiniani Imp. Conſtantia. I. 3. 7. pugno cædit æditũum paganum. ib.
Valentinianus junior à matre ſeductus ad Arianiſmum. I. 7. 3. Bello petitur à Maximo & vincitur ib. ad Orthodoxam Religionem reducitur à Theodoſio M. I. 8. 3
Valentiniani Majoris bigamia. II. 8. 4. Lex pro bigamia ſecundum Socratem. ib.
Varanes Perſarum Rex perſecutor Eccleſiæ. I. 1. 1
Vitæ ſanctitas prudentiæ Eccleſiaſticæ pars. I. 5. 1
Vita ſancta Paſtorum quantos fructus proferat. III. 6. 1. &c. & III. 7. 1. &c. & ſi contra, quantum noceat. III. 6. 2. & III. 7. 3. 4.
Vlphilas Gotthorum Epiſcopus pecunia corruptus ab Arianis. II 2. 2
Vocum innovatione receptarum in Eccleſia dogmata evertuntur. III. 3. 1. diſſidia excitantur & contentiones, nec non alia mala inde naſcuntur. ib. 2. 3. 4. 5
Vrſinus Schiſmaticus ſub Damaſo Romano. I. 1. 2
Vſthazanes Perſa Illuſtris, Martyr. II. 4. 3. Ejus pœnitentia ob Apoſtaſiam. ib.
Vxor fidelis ſeu Orthodoxa quantum poſſit erga maritum. I. 6. 1. 2. 3. Non Orthodoxa quantum poſſit erga eundem in negocio Religionis. I. 7. 1. &c.

Z.

ZElus nobiliſſima pars prudentiæ eſt. I. 3. 1. &c. quomodo prudentia temperatus eſſe debeat. I. 4. 1. 2
Zelus intempeſtivus quæ mala producere poſſit. I. 1. 1
Zelo veræ Religionis prædití viri quantopere utiles ſint Principi & Reip. II. 3. 1. 2. &c. imo quantum unus talis ſæpe utilis ſit Reip. & Eccleſiæ, II. 3. 2
Zeno Imperator ab exilio redux. II. 4. 4
Zenonis Imp. Orthodoxi vita non reſpondens profeſſioni. II. 8. 1. Ejus henoticum. ib.
Zenonis uxor Baſiliſci Imperatoris Eutychiana. I. 7. 3

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

10-2-3